DE PHILIPPIDE

GUILLELMI BRITONIS

DISPUTATIO

Facultati Litterarum Parisiensi hanc thesim proponebat

CAR.-ANT. GIDEL

Jam in eadem Facultate licenciatus

ANDECAVIS

APUD COSNIER ET LACHÈSE

Via dicta Chaussée Saint-Pierre, 13

1857

Parentibus.

CAR.-ANT. GIDEL.

DE PHILIPPIDE

GUILLELMI BRITONIS

DISPUTATIO.

INTRODUCTIO.

Quæ fuerit decima tertio sæculo latinarum litterarum conditio in Gallia.

Ineunte decimo tertio sæculo, dum magis in diem efflorebat vernaculus ille Gallorum sermo, quo nunc utimur, quumque his in regionibus quæ supra Ligerim fluvium circumjacent positæ, tum in illis quas communi nomine Provinciam majores nostri appellabant, uberrimam poetarum copiam effundebat, qui ardore quodam juvenili nihil relinquebant intentatum, juvenilique audacia novas inibant vias; Romanorum oratio, tamdiu omni decore humanitatis commendata, omnique doctrinarum laude

nobilitata, præceps ad omnem corruptelam decurrebat; et, quasi viribus effœtis, ingravescente senio, vim gratiæ et pondus quibus tantum adhuc pollens valensque viguerat, in eo esse videbatur ut jam apud recentiores imminuta amitteret.

Etiamsi maxima pars eorum qui excolendis litterulis facultates ingenii qualiscumque adhibere solebant, vel ut suum oblectarent otium, vel potius ut apud principes famam atque simul munera et conviviorum lautitias sibi pararent, novos avido pectore vulgaris poeticæ fontes haurirent; viri tamen non deerant, reconditioris doctrinæ atque exquisitioris, (illos quidem ipsi præ se titulos ferebant,) qui in usurpanda Latinorum lingua, si quid componere voluissent, tanquam in angustiis desudarent. Quodnam enim gravius majusque possit opus excogitari? Quis enim temporibus illis, satis firmi ingenii atque integri fuisset, ut circumfusæ barbariei fluctus, qua doctissimus quisque alluebatur, evincere potuisset? Illud ideo evenire solebat ut tantum ab exemplaribus, quæ sibi ante oculos proposuerant, puro sermone et omnis elegantiæ venustate discederent, quantum exactis annis distabant a veteribus.

Haud æquo sane, pio tamen certamine contendebant cum Antiquis, si quæ possint eripere decora quibus insigniti inter æquales suos elucerent. Quorum quidem labores, quamvis multum infra perfectam absolutamque poetarum oratorumve Antiquitatis rationem jacerent, nequidquam tamen

aspernandi sunt; si modo eadem in conditione versantur gentes ac singuli homines, qui præteritarum institutione ætatum informari solent; doctrinaque aliorum et libris, velut adminiculis innixi, prodire tenus valent, si non datur summum assequi fastigium. Scriptoribus igitur medii ævi summæ sunt agendæ grates, quod cum ingrueret undique inscitia, atque mentibus incubaret, ad id omnibus intenderent nervis, ut ex uberrimis latinarum litterarum fontibus exundantes optimæ doctrinæ fluctus haurirent. Unde etiam, ne quis ullo crimine obrutos velit, ille vulgaris sermonis ramus, quem cæteri tanto fovebant cum studio amoris succum eliciebat quo nutritus invalescebat in dies, lætioresque explicabat gemmas, dum mira quadam vice fortunæ, visceribus ex intimis hostis infensissimi, vires quibus altius assurgeret extrahebat.

Duodecimum ut omittam sæculum quo, nulla alia ætas pleniorem partum, majoremque proventum extulit, seu poetas, seu oratores, seu rerum actarum scriptores, summave doctrina præstantissimos doctores colligere velis; ecquod aliud, quam decimum tertium, majoribus exornari debet laudibus? Cui sententiæ multos non ignoro adversatos olim fuisse; quum a quibusdam illud sæculum, ut ita dicam, pessime audierit. Exstitere enim viri qui illud asseverare non dubitaverint hujus ætatis homines vel pauxillum in litteris tractandis versatos fuisse, defectum ob ingenii, ignorantiæque sordes. Tunc temporis ubique tam densam tenebrarum ca-

liginem offusam fuisse volebant, ut, ne minimi quidem luminis igniculi eluxissent. Quanto autem isti in errore versarentur, quis non videat, si illud tantum in memoriam revocaverit, Parisiorum civitatem, tanquam ludum totius orbis patuisse; quo omnium gentium juventus confluebat, adeo longinquissimas in regiones insignis magistrorum volitabat fama, quos vel Parisiensis Universitas intra suos parietes educatos aluerat, vel quos benigna, omnisque laudis amantissima, diversis gentibus oriundos exceperat, quod non in ultimis laudum tunc a doctoribus poni solebat. Quam civitatem Joannes Altæ Villæ, fere hujus temporis poeta, his laudat versibus :

Exoritur tandem locus, altera regia Phœbi,
Parisius, Cyrrhœa viris, Erythrea metallis,
Græca libris, Inda studiis, Romana poetis,
Attica terra sophis, mundi rosa, balsamus orbis (1).

Quid memorem nunc tot et tantos altissimi, illis pro temporibus, ingenii, quibus cum plurima officerent, illa tamen aliquatenus exsuperare valuerunt, effractisque vinculis quibus onerati impediebantur, liberiorem cursum, summo cum nisu tenuerunt? Quis ignorat, illa in ætate, quam plurimos eminuisse scriptores historicos, qui, haud ineleganti, inconcinnoque stylo suorum civium gesta descripsere, dum perantiquam Latinorum adhibebant ora-

(1) Du Boulay. Hist. de l'Université, p. 481.

tionem, veterumque vestigiis inhærebant? Quis nescit in primis, quod numquam oblivione obruendum, illa tum nostræ Gallicæ linguæ monumenta oculis omnium affulsisse, quum *Villehardouin* et *Joinville* commentarii, diversam exprimerent cujusque scriptoris formam ingenii atque redderent. Infinitum hic adscriberem numerum, si id mihi propositum haberem ut poetas tantum enumerem, qui sermone nostro utentes, vel lascivias elegorum, vel lusus epigrammatum, amaritudinemve iamborum, speciosa que fabularum miracula effinxerunt protuleruntque. Quod si intra fines poeticæ latinæ oratio mea contineri velit, haud magis deficiant nomina producenda, modo ad istum confugiam Polycarpi Leyseri librum in quo omnis illa soboles concluditur, mera poetarum farago (1)!

Dum autem enixe laboro ut refellatur illa sententia quam minime cum vera rerum conditione et natura congruentem affirmaverim, non ita tamen velim meum sic accipi sermonem tanquam in alterum videar errorem incidisse, toto cœlo, tota terra, ut aiunt, abhorrentem a priore. Quis enim nescit patrem *Hardouinum* vel insipientia quadam ingenii, vel cupiditate nova quædam in medium proferendi, ne unus e multis haberetur, sese adeo acrem medii ævi fautorem, et præsertim quarti decimi sæculi, præstitisse, ut monachos quosque illorum temporum totidem Virgilios, Flaccos, Lucanosve arbitrio

(1) Polycarpi Leyseri. Hist. poemat. medii ævi, Halæ 1725, in-8°.

suo effecerit; qui apprime latini sermonis veneres, lumina, colores, omneque florum genus tenerent, quibus haud inepti distinxerant sua carmina atque depinxerant, Romam plane redolentia. Idem etiam, adeo non impugnat et odit plebeculam istam monasteriorum, quam tam multi, satis superque dicteriis insectati sunt, dum genus illud omni omnino barbarie infuscatum, nebulones, ut verba poetæ usurpem, terræ natos fruges consumere, plus æquo in cute curanda, genioque colendo, atque vini deliciis et somni adoperatos prædicabant; ut eorum patrocinium susceptum maximo cum ardore tutetur, contendatque ex illa officina medii ævi exiisse libros illos quos summa prosequi solemus admiratione, veluti Romæ conditos ab istis quorum nomen sibi præscribunt; dum reipsa monachi vetustatem mentiti, Virgilii, Lucani et cæterorum nomina suis inscripserint, adeo summis cum facultatibus ingenii summam modestiam conjunctam habuere!

Ne diutius in hac immorer sententia quam satis est significasse ut ipsa per ipsam elusa cadat, quis non præclare intelligit, hos intra fines tam longo distantes intervallo, velut in medio stare veritatem; neque enim inscitiam tantum mentibus offecisse ut illius ætatis homines tenebricosum pergerent iter, nulla litteris adhibita cura; neque contra tantum effloruisse studia, ut aliquis, vel unus ex universis, omnibus numeris exactum, ad unguem præsectum opus, tantaque gravitate sententiarum commendatum, tantoque orationis ornatu excultum, quale

divinum illud Virgilii poema Æneida; vel curiosa verborum felicitate comptum, eximiaque sanissimi judicii salubritate, et argutiarum salibus conditum, composuerit, qualia publico teruntur usu Flacci carmina. Si quis insuper altius introspicere velit, excussoque tertio decimo sæculo, singula ingenia, cum singulis ingeniis duodecimi sæculi comparare instituat, fateatur necesse erit, hanc de qua nunc disputamus ætatem inferiorem obtinere locum, quum numero, tum virtute operum. Quos enim philosophiæ disquisitionibus, doctrinaque litterarum præstantissimos, vel eloquentiæ viribus instructos collaudat posteritas, atque majori extollit præconio, hos a duodecimo informatos videas sæculo, florem delibatum quo nostra gaudet tellus, ex quo veterno priorum sæculorum soluto, quid possit virtus, ut ita dicam, insita solo occœpit ostendere. Quid enim? Cum strepitus inter disputationum *vico in fragoso*, qui de *stramine* vulgo nuncupabatur, vel sub monte vitibus amicto Sanctæ Genovefæ (1), Abailardus circumfusos auditores edoceret sacrarum arcana litterarum, liberiusque exsultaret quam ut immutandæ fidei effugeret crimen; columen, præsidium et decus Ecclesiæ, divus Bernardus, maximos fructus eloquentiæ faciebat. Ille enim cum terrore audientium animos

(1) Joannes Sarisberiensis de Abailardo : ad pedes ejus prima artis hujus rudimenta accepi, et pro modulo ingenioli mei, quidquid excidebat ab ore ejus, tota mentis aviditate.— Hist. Littér. de la France, t. XV.

percelleret, vividioribus depictis coloribus pœnis, quas vindex male admissis rependit Deus; cum, sæpius, magis ad mansuetam suimetipsius indolis naturam pertinentibus animos perfunderet affectibus, lacrymasque ex omnium oculis soleret exciere; seu, cum majoris opus ponderis moliens, concitos e sedibus suis, milites, agricolas, mercatores, longinquam in terram, periculis refertam, multisque jam cladibus infamem, orationis suæ vi transversos ageret, oratorium hoc perficiebat opus, quod ab eloquentissimo viro Tullius expostulat.

Quid referam tot Parisiensis Universitatis magistros omni suppellectile omnium doctrinarum plenos atque ornatos, Gilbertum Poreensem, Theodoricum Aremoricum, Guillelmum a Conchis hos multosque alios, quorum longioris moræ nomina tantum enumerare, domum deducebat juventus, in scholis stipabat frequentibus catervis; hos fovebant discipuli admiratione, plausibus; hos sæpe sæpius auxilio tuebantur dum adversariorum haud semel, insolenti argumentorum ratione, auctoritatem atque potentiam perfringerent.

Qui autem in eo incumbebant, grandis tunc studiorum materies, ut claro circumfunderent lumine abstrusum quidquid, vel utile religioni tutandæ reconderent libri quos penes arbitrium et jus et norma fidei est; qui in exagitandis disputandisque de omni re *scibili* questionibus versabantur, horrida sane rudi et impolita oratione utebantur. Quæ enim alia existere potuisset nisi spinosa, exilis, jejuna

et, vitio temporum, contaminata omni labe atque spurcitia? Plurimi tamen a rhetoribus, qui artem Ciceronis, qualemcumque traditam exceperant, prælectionibus illustrabant, rectius etiam ab optimo quoque Latinorum scriptore, qui in manus devenerat, solebant ornamenta petere quibus insignirentur. Si quis enim odoratus tantum fuisset eximiam veterum orationem, si quem arripuisset librum, vel florem inde excerptum scriptis inserere suis, vel purpureum inde properabat auferre pannum quo gloriabundus incedere solebat, parum curans an propria exilitas alieno splendore majori in luce versaretur necne. Intelligebant onim omnia esse petenda ab illorum imitatione librorum quos antiquitas tradiderat licet vetustatis injuriis deformatos. Illa igitur assidua manu versare non desistebant volumina et tractare quæ magno opere amanuensibus multiplicanda mandabant. Plurimi enim erant numero auctores quos, velut e fluctibus erutos servatosque retinebat medium ævum. Multi nempe annumerantur melioris ingenii, bibliothecarum in catalogis quos doctissimi in monasteriis exstruxerant homines. Neque in eo nobis ad conjecturam confugiendum est; si quidem catalogos habemus temporibus illis conscriptos, in quibus, multos inter libros qui ad doctrinam interpretationemque litterarum sacrarum pertinent, velut *rari nantes apparent*, Stacius, Flaccus, Lucanus, Bucolica, Juvenalis, Titus-Livius, tres Ovidii, Plinius de Naturali historia, Vitrivius, Valerius Maxi-

mus, Seneca, Tullius de officiis (1). Inde colligi potest haud angustissimos inter fines coarctatam contineri librorum copiam, e quibus proferre potuissent, velut e recondito thesauro, egregiæ latinitatis gemmas quibus sua illius ætatis scriptores adornarent scripta; quo tamen minores succurrebant opes, eo majori studio proprias sibi vindicabat quisque, ita ut nihil periret ex illis ob incuriosam mentis inertiam quæ in profluenti nimium abundantia nasci atque gliscere solet. Quemadmodum enim nulli parcebant rei, cunctaque movebant ut optatum quemdam librum compararent, remotissimisque e regionibus per munera elicerent, sic illud non committebant ut inutile jaceret volumen, intactumque consenesceret. Inde in evolvendis voluminibus duodecimi sæculi, tam multa deprehenduntur que e sacrario Virgilii, Lucani, aut Horatii prolata, in sacras conciones vel in carmina obvii cujusque monachi transmigrarunt, atque velut simulacra deorum quibus antefixis postes suos veteres decorabant, nitorem illis et honestum decus afferunt.

Illa enim potissimum imitatione Antiquitatis maximo in numero debet esse duodecimum sæculum; viderunt enim in ea ætate homines, quantum quidem tempora sinebant, quid expostulet optima litterarum ratio; nec inficeti, nec inepti quædam scribendi attrectaverunt genera, lætiores tentaverunt locos, speciemque pulchritudinis eximiam

(1) Bibliothèque de l'école des Chartes, t. I, 3e série, p. 217.

mentibus insitam, judicio et intellectu exprimere voluerunt. Quod si vires voluntati defecerint, id temporis potius vitio quam hominum videtur accidisse.

Si nunc illud mihi confirmandum est exemplis, latius non evagabitur oratio mea, magisque copia quam defectu res impedita atque perplexa reperietur; nihilque mihi molestius est quam quod, cum tot et tanta superfluant, exempla quædam modo seligendum est. Legimus enim in annalibus nostrarum litterarum (1), quos a doctissimis inchoatos scriptoribus doctissimi viri, quum maxima eruditione, tum tersissimo ornati judicio, exceperunt, adaugent, commendant; Helinandum quemdam Frigidi Montis, compressione sententiarum et pondere graves, dolore animi incensas, descriptisque æqualium vitiis, ut ita dicam, exasperatas, conciones distinxisse et variasse locis nitidissimis quos a Lucano, Virgilio, Seneca, Cicerone, Juvenali desumpserat, ita ut illum citius decimi sexti sæculi dixeris, atque inter Ciceronianos adscribere volueris.

Quem quidem præposterum eruditionis usum omni ex parte defensum nolim, inepti enim est hominis nimiumque alienis opibus exsultantis, ad Horatium totamque profanorum cohortem confugere quo melius firmentur Christi præcepta, majoremque fidem faciant apud audientes. Nemo tamen infitiabitur illud exemplum pro nobis facere. Quid

(1) Hist. Littér. de la France, t. IX.

enim, cum latinorum vatum aut oratorum adeo grassaretur imitatio ut sacras etiam perrumperet conciones, de illis existimes qui gloriam carminum poeticæque laudem fovebant? Ad illos enim veluti jure suo pertinebant opima hæc spolia; his enim, propter cognationem generis, propterque voluntatis similitudinem, in medio quædam sita erant ad quæ desumenda veluti natura ferebantur. Qui igitur erant in incude studiorum positi, tanta cum aviditate pulcherrima quæque antiquorum arripiebant, tanta que cum firmitate memoriæ tenebant, ut, quasi ex abundantissimo fonte scaterent, prout vel studiorum, vel vitæ communis usus, tanquam rivulis promptam hanc eruditionem, deducebat. Aloisia, quo melius exemplo quid velim illustrem, quæ cum a sanctis virginibus edocta fuisset, illisque præcipientibus latinam, græcam, hebraïcam quoque penitus hausisset doctrinam, his perlectis auctoribus, diutiusque versatis atque meditatis ita turgentem, inflatam ac velut prægnantem gerebat mentem, ut, cum, tanto dejecta conjuge, rite sacram vestem altari impositam sumeret, hæc in carmina Lucani, lacrymis obortis eruperit : (1)

. . . . ô maxime conjux,
O thalamis indigne meis? cur impia nupsi,
Si miserum factura fui? nunc accipe pœnas
Sed quas sponte luam

Quos ipsa solebat versus excudere numquid alium

(1) Lucani. Phars. L. VIII. 95.

referre colorem arbitraris, nec omni exquisitissimi sermonis latini elegantia tinctos nasci?

Egregius enim quisque poeta, qui quidem eruditionis speciem affectabat, (duplex nempe genus erat vatum, quorum alterum antiquitatis incuriosum, circa leviora subsidebat, levissimasque effutiebat nugas, quas ne canoras quidem dixeris;) nulla alia re magis gaudebat quam si carminibus inseruisset illas regiones, montes illos atque flumina quæ poetico exornata cultu famæ tradiderant Antiqui. Testis ille Cadomensis Radulphus, qui dum (1) Gesta Tancredi in bello Hierosolymitano soluta oratione describit, heroici carminis sonum commiscet interdum, commixtisque versibus historias suas exhilaratas honestat. Cujus opera si quis perlegat, haud difficile agnoscet, succum quemdam boni sanguinis, et toros et lacertos inesse, quibus intelligi potest illum diutius in palæstra Antiquorum fuisse versatum, omnesque didicisse motus quibus et mollis laterum flexio, et virium robora conjuncta conveniant. Seu velit enim rebus inter se collatis comparatisque majus lumen affundere, seu rei formam adaugere speciosa amplificatione, non ad alias confugit opes, quas olim Lucanus, Virgiliusque adhibuerunt, et sæpius licet se tantis colluctatoribus prædicet imparem, cum illis tamen non dubitat conserere manus, si non furtim ad illos imitandos delabitur.

(1) Martène. Thes. t. 3, p. 108.

Quid autem circa cæteros morer, cum unus inter tam multos apprime possit ostendere, quæ fuerit, duodecimo sæculo in finem inclinante, litterarum conditio, quantoque cum ardore novum sibi quæritarent iter auctores, quo possint ætatis suæ sordes et incompositam dicendi rationem effugere, teretibusque quorumdam atque religiosis auribus satisfacere, non ita tamen ut plurima non remanerent ruris vestigia. Quotannis enim cum plurima de levissimis rebus exirent carmina, colluviesque poetarum, ne honorificentiori vatum utar nomine, nihil intentatum sineret, nihil non inquietaret, eximiorum quorumdam mentibus insidebat altior graviorque poeticæ forma quam omni conatu exprimere tendebant. Grande decus, si quis potuisset ingenti opera fabricatum condere poema! In hoc omnis videbatur sæculi fama posita! Quam laudem amplissimam propriam sui fecit Galterus. Qui cum *Insulæ* natus esset, doctrinarumque omnem varietatem in Universitate Parisiensi hausisset, adeo litteris sacris humanisque munitus evasit, ut formam quamdam Virgiliani carminis elucubrare tentaverit, quoque melius gravi incœpto responderet materies gravitate sua, præstantissimum bello virum sumpsit acri tibia canendum.

Quis nescit medium ævum adeo Alexandri Macedonum regis tenuisse partes, illumque tanta prosecutum esse admiratione ut nulla fere alia exstiterit ætas in qua tantis prædicatus fuerit laudibus. Hanc famam adauxit Alexandri Galterus, alterius Achillis

alter Homerus, cujus carmina late diffusa Virgilii carminibus apud gentes offecerunt, illud enim acciderat ut melioris ingenii auctoribus neglectis, in manus discentium Alexandreis Galteri venisset, omniumque illecebris irretitos detineret animos. Quanta inde detrimenta litteris importarentur, ratio vix iniri potest. Galterus enim licet in hoc incumberet ut Virgilius quidam fieret, tum operis sui dispositione et forma, tum oratione et stylo, copia que ornamentorum et ubertate, neque vires ingenii, neque robur doctrinæ, neque eam sapientiam judicii, neque rebus inveniendis exprimendisque delectum, adhibere poterat ut eumdem teneret cursum. Quem omnino improbatum nolim. Ille enim pro se, proque virili parte agebat, neque magis in culpa versabatur quam sæculum. Quæ semel enim vitiis illita tetigit inscitia, haud facile in melius deflectuntur iter. Dum Gesta Alexandri, auctore Quinto-Curtio, refert atque pari gressu sequitur historiam, quæ sit sibi vis imaginandi parum ostendit, nisi pugnarum descriptione, situque locorum depingendo, quibusdamve super additis quibus Virgilium imitatur, cum Nicanoris atque Symmachi amicitiam, audaces animos, incœpta fortia, atque miserabile lethum, ex illo depromit Æneidos libro quo poeta Latinus, tanto cum dolore animi, ambos florentes ætate, ferventes atque exsultantes juvenili audacia, inducit, et præ mutua animi caritate simul peremptos legentium ante oculos objicit; seu, cum altius sese erigens, sexti Æneidos libri speciem adumbrare

non dubitat, horrendasque pestes, quæ hominibus velut ater nimborum globus ingruere solent, ante fores Erebi ad arbitrium novi poetæ compositi atque ficti ostentat, cum natura indignans Alexandrum hominibus concessos fines excedere, nullumque suis cupiditatibus modum imponere, Parcarum tergeminam vim rogat ut illius abscissa terminetur vita.

Galtero autem, cum esset ad tam copiosas Antiquorum fruges aditus, atque inde multa, plenis que manibus, ut ita dicam, quibus ditaret suum poema, efferret, contigit ut facile æquales suos devinceret exquisitiori dicendi genere, melioreque cultu, simul atque graviore materia. Ille tamen non satis circumspexit ne scopulis frangeretur iisdem quibus auctores illorum temporum; nec satis ab illa odiosa putidaque concinnitate verborum deflexit, qua verba verbis respondent ridicula cum arte coagmentata; cujus acerrime plurima notat exempla Barthius (1) apud Galterum, quibus ait jejunum argui animum et plus æquo in occupandis ineptiis districtum. Communi enim omnium cum in errore versaretur, magnum quoddam opus et summopere laudandum confecisse existimabat si modo potuerat ita seriem verborum consertam innectere, ut inter se colliderentur.

Quædam sane talia in Plautinis fabulis, plurima quidem, multa apud Ennium, paucissima vero apud

(1) Adversariorum. IX, C. XI.

Virgilium deprehendi possint, quæ Galterum tamen a culpa non vindicent, quippe quæ, vix vituperes apud Plautum, epicum dedeceant genus, Virgiliusque sese cautissimum in illis ornatibus exquirendis præstare soleat. Plurimus autem Galterus circa tales aucupandos lusus; atque in cœlum videtur efferri, si ineunte sua fabula gemma illa, ut ait Barthius, eluceat.

« *Gesta ducis Macedum totum digesta per orbem.* »

Quin etiam, non temere primam cujusque libri litteram collocat, hanc autem eximia cura seligit; ita ut dispositione certa, decimis conditis libris, *Guillermus* referant; quo nomine appellabatur episcopus cujus patrocinio gaudens, amicitiam cujusque fovens, hoc donum grati atque fidelis animi patrono dicabat; ita ut, quemadmodum decem litteris Guillermi nomen constabat, sic intra decem librorum fines contineretur Alexandri gloria, neque fabula nomine patroni esset productior.

Quæ nunc insectamur vitia, quasi fœcem corrupti judicii, temporibus illis ea non erant quibus diminueretur Galteri fama. Imo crescebat, eoque magis amplificabatur, quo impensius illa contrahebat; adeo poeticam quæ nonnisi maximis in rebus versari solet, et vires suas explicare, nisi latior illi pateat campus, in quo liberius exsultare atque evagari liceat, circumcisam, curtam, effractam, elumbem, circa minimas res otiosam, tanquam in pistrinum detrudebant! Adeo ipsi quibus interdum facies poeticæ, non species tantum affulserat, vero

numine instinctis, illiusque vero afflatis spiritu, ad infima descendebant, et judicio carentes laudem suam ineptiis deformabant. Quæ quum ita sint, caveamus tamen ne acrius lacessamus ætatem quæ litteris adeo indulsit, in illisque excolendis tantam insumpsit operam, ut quasi nutrix cæterarum fuerit quibus semina honestarum artium tradidit, stimulosque et incitamenta addidit ad illa alenda et adaugenda.

Ut nunc ad decimum tertium redeamus sæculum, pauciores quidem exstiterunt quam priori ætate, quos reconditam ob scientiam litterarum producere possimus; omnis enim jam transierat popularis favor ad gallicum sermonem, cui nascenti, nec satis adulto plurima sane deerant, in quo tamen plurimæ virtutes inerant, quibus abhorrentes a litteris nimium exquisitis allicerentur animi. Quem enim in eloquentia, quem in concionibus habendis, sancto Bernardo parem opponere possimus? Quum monachi in diem desciscerent a vetere et recta via, majorumque disciplinam abjicerent; cumque presbyteri quibus illius officii incumbebat administrandi munus, in veterno torpentes, nihil nisi somnum curarent et gulam. Illud enim, recensitis ad unum ætatis illius libris, nostrorum annalium doctissimi scriptores animadvertere, nullam satis vendibilem erutam fuisse orationem quæ commendari possit. Obmutescebant Ecclesiæ; et nusquam egregius ille *Dei verbi seminator* aderat qui hominum naturam percalleret, atque vias quibus commotæ tractari

possunt mentes, quique orationem posteris laudandam transmitteret. Quantulus enim locus obsessis remanebat mentibus atque occupatis omni libidinum genere quem optima subirent studia! Ob inscientiam desides animi gravius onus recusare solebant, atque proprium aliis officium mandabant cæterosque sibi sufficiebant. Quas ideo sordidissimis in artificiis lucrosi solent homines societates inire, conscriptas tum videre erat, atque quasi eloquentiæ operas, mercede pacta, conduci, qui verba Dei dispergerent. Quod quidem decimi tertii sæculi videntur homines nostræ ætati præripuisse quæ cuncta adeo per pecunias in commune collatas publica molitur officia!

Quasnam epistolas epistolis Petri Blesensis comparandas in eo sæculo afferre possimus? Quarum tanta paucitas est, tantaque inopia ut, illud sæculum ne unam quidem in eo genere litteram scripsisse videatur. Petrus enim Blesensis, quum ab unguiculis in tractanda antiquitate versatus esset, utque ipse fatetur, Trogum Pompeium, Josephum, Quintum-Curtium, Titum-Livium usu trivisset assiduo, inde medulam optimæ orationis, et succum et sanguinem in sua traduxerat scripta, quibus destitutæ sequentis ætatis epistolæ oblivione legitima jacuerunt obrutæ. Non quod tamen omnia fecundissima studia illa ætas abjecisset, atque neglecta omnis obsolesceret doctrina. Si velis enim quibusdam hujus ætatis scriptoribus adhibere fidem, et nostro præsertim Guillelmo Britoni, nullo alio tem-

pore magis effloruerant litteræ, majoresque nullo alio tempore discentium catervæ confluxerant Parisius. Hoc enim apud illum legimus (1) : « In diebus illis studium litterarum florebat Parisius, nec legimus tantam aliquando fuisse scholarium frequentiam Athenis, vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum studendi gratia incolebat. Quod non solum fiebat per illius loci admirabilem amœnitatem et bonorum omnium superabundantem affluentiam, sed etiam propter libertatem et specialem prærogativam defensionis quam Philippus rex et pater ejus ante ipsum ipsis scholaribus impendebant. Cum itaque in eadem nobilissima civitate, non modo de trivio et quadrivio, verum et de quæstionibus juris canonici et civilis, et de ea facultate quæ de sanandis corporibus et sanitatibus conservandis scripta est, plena et perfecta inveniretur doctrina, ferventiori tamen desiderio sacra pagina et quæstiones theologicæ docebantur. » Quod quidem verius affirmari possit, ut asseverat Brito, de ineunte sæculo; his enim diebus motum quemdam retinebant mentes, ut navis quæ, flaccescentibus velis quum concidit ventus, inhibitoque remigio, quemdam tamen retinere solet impetum quo ipsa in undas fertur. Multos enim, qui decimo tertio ascribuntur sæculo, merito duodecimum vindicaret quippe qui informati fuerint vigente etiam ætate proxima, ita ut medio sitam illorum laudem jure

(1) Scriptorum rer. Galli. t. XVII, p. 82.

dixeris. Neque enim effœtæ vires omnino defecerant, neque omnis flos veluti siti exustus aruerat; validamque prolem effuderat duodecimi ævi maturitas, qua paternum decus debebat amplificari.

Multi enim in conscribendis historiis eminuere, prout conditio temporis poscebat, in quo maximæ res gestæ scribentium animos erigebant, orationi que, sinon nitorem atque candorem quo Herodotus et Græci insigniuntur, pellucidius tamen nescio quid, majoremque in rebus hominibusve noscendis doctrinam afferebant; nec amplius illi componebantur annales strigosi, rudes et incompositi atque omni inscientiæ temporum locorumve rubigine infecti. Historici qui plerique rerum fuerant ipsi testes, qui pugnis, qui bellis longinqua in ora interfuerant, acriore inde ferebantur spiritu, si ad illa narranda accingerentur; cumque libentius indulgerent rerum memoriæ, illam assequebantur haud semel ubertatem auream qua tantum pollet hisforia. Ut vera tamen fateamur, scriptoribus illis id raro evenit ut ex omni parte sint commendabiles. Si quando diligentissimi rerum actores inveniuntur, atque ab illis petenda sunt quæ ad suam attinent ætatem, illos nolim ut puræ latinitatis, reconditæ que scientiæ prædicare atque divitis venæ. Nec Thucydides, nec Titi-Livii feruntur, et, quamvis cæteros superent, neque inglorii ex comparatione discedant, haudquaquam ita potuerunt ætatis suæ vitia effugere, ut omni opinionum pravitate immunes, negent Parisius, propter cognationem nominis,

(bellam historicorum excogitationem!) a Paride, filio Priami regis fuisse conditam; Francosque a Francione, ejusdem stirpis, originem suam ducere. Adeo nullus tum certam temporum rationem dignoscere callebat; adeoque pro veris, indoctorum commenta, intermixtasque fabulas peritissimus quisque excipere solebat. Cum autem, ut supra jam diximus, latini isti, avara maximo opere arva exararent, quæ male parebant atque respondebant, scriptores duo, novæ sobolis, veterem hanc prosapiam suis addictam laboribus nullum exagitandi sibi modum imponere patientes, nondum tacta ligonibus arva, ut ait Horatius, contingebant, tellusque pulcherrimo partu gaudens insuetas admirabatur frondes omniumque frugum copiam.

Quod si autem, omissis istis qui solutam orationem extundebant, nunc ad poetarum domos atque sedes deveniendum est, haud minimæ molis labor si universos nobis colligendum esset, qui verba intra finem præscriptum incluserunt, ideoque poetæ salutandi essent. Densissimum enim glomerari posset agmen eorum qui, invita Minerva, latino sermone condendi carmina studio calebant, ingratumque exsudandi opus quod ætas postera respuit. Partem enim alteram, vel amplius, de numero promptum est demere, si de arce poetarum velimus, ut fert ratio, deturbare atque dejicere, rabulas istos, anseres, ut dixerim, quorum modulis inamœnum crepitantibus toto illo sæculo perstrepuit Gallia. Infinito pæne numero degebant qui per

compita, per Popinas, per fora nenias, cantiunculas omnis generis dispergebant, quique gravius quoddam attingentes, Caroli, Pipini filii, gesta decantabant, atque carmina « *melitis* » dividebant « *viellis* », densa humeris audientium corona circumstante. Quod quidem ex his colligitur versibus Carolini poematis (1) :

E Karolo, clari præclara prole Pipini,
Cujus apud populos venerabile nomen in omni
Ore satis claret, et decantata per orbem
Gesta solent melitis aures sopire viellis.

Carmina illa quæ in solem atque in pulverem prodibant, minime oleum redolebant atque testudinem; nihil facti, ut ita dicam, præ se ferebant, nihil eximii; ex tempore sæpius conditi, et velut e turbido fonte erumpentes, lutulenta profluebant, nec modos, nec numeros, nec longarum aut brevium legem syllabarum retinebant. Hoc tantum enim sæpius erant contenti poetæ, si pereunte *versu*, idem consonarent eædem vocales. Quæ cura simul et nimium properantis festinationem poetæ, et labem ignorantiæ declarat, illiusque in primis studium Ἁρμονίας, quo tantum natura delectantur aures, ut illum deficientem querantur atque alia qualicumque ratione suppleant. Quantum autem rectum sermonem inflecterent, quanta detrimenta latinæ linguæ importarent, haud operæ pretium est enumerare; in universum satis sit affirmare nihil nusquam recti et

(1) P. 1. Mass. t. xv.

integri apud illos remanere, omnemque istam poetarum familiam, velut hostilem manum rectæ poeticæ rectæque orationis sata et vites, ut ita dicam, exussisse.

Quemadmodum autem, Sibylla Æneam dum deducit per vastas inferorum sedes, reducta in valle bene meritos de patria ostendit vates, ita si quis per impexas medii ævi, dumis atque sentibus horrentes vias indefessus teneat iter, ad sanctiorem poetarum deveniet cœtum, qui duodecimo sæculo propinquiores, decimi tamen tertii sæculi feruntur, illique maximam circumdant gloriam, quippe qui a prioribus informati, legitime, ut ita dicam, studuerint optimamque studiorum disciplinam fuerint secuti; nec solum non degeneres, aliquatenus autem superiores evaserint. Licet etiam sæpius delaberentur ad vitia quibus infectum corruptumque vidimus totum medium ævum, acriorique studio tinnitus litterarum atque ineptias venarentur, summa tamen sibi proposuerant exempla, et prout suppetebant ingenii vires, eximiam pulchritudinem, quæ ex antiquis operibus elucet, contendebant assequi. Haud communi imbuti eruditione, nec inopes, nec jejuni ad componenda carmina accedebant; digitis et aure, ut ait Flaccus, quid numeri expostulent percallebant, neque temere coacervare verba solebant, omni elegantiæ, venustatis, rectique ordinis omissa cura. Illi denique, qualicumque sint ornati virtute, quid valeant veteres in informandis recentiorum ingeniis ostendunt; quantoque cum ardore

animi veteres illi nobis sint excolendi, siquidem nihil absoluti proferri potest nisi subsint, totius generis humani præceptores!

Petrum Rigam, qui quosdam locos, e sacrosanctis libris excerptos poetico decorare cultu instituit, ista sibi lege imposita, ut primus littera *a* careret, secundus littera *b*, etc. ne quod ex universis elementis, illud præsumeret se componendo libro necessarium esse; Galterum Mapensem, qui clericorum corruptelam, pravosque mores atque flagitia carminibus insectatus est; Everardum Bethunensem, qui numeris instruxit grammaticæ præcepta; Alexandrum de Villa Dei, cujus doctrinale puerorum, optime nuper illustratum, tantæ fortunæ fuit, ut in scholis usque ad decimum septimum sæculum viguerit, tantosque educaverit viros, secreta in sede collocandum est. Haud quaquam enim illi sunt gregarii poetæ quos sibi vindicat oblivio, sordidoque fœdatos pulvere opprimit. Minori tamen sunt cumulandi laude quam cæteri ejusdem ætatis. Non solum enim Ægidius Corboliensis, medicus vir altissimæ pro temporibus suis doctrinæ, omni scientia refertum poema de pulsibus et quibusdam aliis ad sananda corpora pertinentibus edidit, sed etiam ostendit nullam rem tam asperam, tam spinosam esse, quæ non possit carminibus exornari. Atque quum satis esset Ægidio tam difficile opus venusto evicisse labore, insuper addidit illa graviter excogitata, quibus generosa mens arguitur, quibusque condiri carmina solent. Illius nunc doctrina vilis et minimi pretii videatur,

id progressu temporum evenit, idem autem valent hodierno die *humanitatis* præcepta quæ medico suo instillat, ut ægros et pauperes liberalitate sublevet.

Cujus quidem viri cum doctrina in corporibus sanandis præsertim evaleret, Ægidius tamen non a se alienum arbitratus mores attingere, alterum conscripsit poema in novem libris digestum, quod hunc sibi præscribit titulum : *Iera pigra Magistri de Corboilo ad purgandos prelatos*. Quod quidem opus diutius obrutum pulvere, ut nomen ipsum penitus periisset, nuper primum vir tum doctrina, tum industria diligentiaque commendatus extulit, prædicavitque, si non ex omni parte vendibile, multis attamen virtutibus exornatum, quas ne nostro quidem tempore aspernari licet. Quamvis enim plurimis in locis subobscurum, neque ad amussim dispositum, neque ad unguem præsectum, multifariamque novitate præpostera verborum inquinatum inveniatur.

Uberiorem venam tamen excultissimi ingenii, variarumque divitem opum ostendit. Satis enim profluens, et ornata procurrit oratio neque iis facetiis caret quibus veluti sale aspergendi sunt libri qui virorum pravos insequuntur mores. Ægidius enim ille haud sordibus vitiorum insectator deprehenditur; dumque in *prelatos* silentium usque obtinentes, ne illorum arguatur inscitia, dum in lautitias conviviorum, quibus dediti prægravantur, atque in illas in immensum extructas opes, nec optimis artibus quæsitas invehitur; dum Galonem

quemdam, boni alieni appetentem, « qui Gallicanum, Crasso felicior, aurum sorbuit » traducit; haud inepto inconcinnoque sermone utitur. Adde quod, cum teneat omnem antiquitatem, e Virgilio, Lucano, Ovidio, Juvenali et quibusdam aliis assumpsit unde oratio distingueretur sua, velut insignibus (1).

Altius assurgens, proprius epicum carmen attrectavit alter Ægidius Parisiensis nomine et ortu, qui, cum quatuor libris Caroli magni virtutes præcipuas, prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam laudibus sustulisset ad cœlum, quinto et ultimo libro, vigente Philippo Augusto, audet examinare quanam ex parte Philippus ab illis virtutibus deflexerit; quem Carolinum, ita enim ille inscribitur liber, propter dictionis lepores, eximiumque florem latinitatis laudant doctissimi nostrarum litterarum exactores. Quibus si super addideris Nicolaum de Braia, Ludovici Octavi rerum gestarum præconem, numerus poetarum complebitur. Cujus Nicolai narrationes commentis refertæ, fabulosis adulterant veritatem ornatibus; præ se tamen ferunt haud pravum orationis genus, quasdam munditias et quosdam colores quibus illustratur Antiquitas. Ab illa enim mutuatus est per quæ proximas primis duodecimi sæculi sedes obtineret. Quam plurima enim apud illum invenias quibus nihil tenerius, nihil mollius, nihil denique meliori judicio ornatum

(1) Hist. Litt. de la France, t. XXI, p. 333-362.

reperias! Ita ut, parum quanquam rerum actarum locuples et certus auctor videtur, haud spernendos tamen inter scriptores annumerari debeat. Mathæum Vindocinensem, quasi per transennam attingam, illum nominasse contentus, ut citius ad Guillelmum Britonem, Philippidos conditorem decurram, quem præstantissimum inter omnes universi fatentur, quum argumento poematis sui, tum doctrina et arte; cujus virtutes et vitia, si quæ sint, pro mea facultate exsequi et perpendere mihi fert animus.

Haud exigui, nec ingrati quidem laboris erat, tot et tanta per quadraginta et tres annos digesta carminibus describere. Quænam alia major copia, et velut sylva rerum vati potuisset occurrere? Unde melius afflare potuisset spiritus ille quo instincti speciosa miracula expromere solent poetæ? Nobile quoddam et grande spectaculum æqualibus suis ediderat Philippus-Augustus, qui, cum bellicis simul et civilibus exornaretur virtutibus, infensissimos devicit hostes atque subjecit pedibus; regalem adauxit victoriis potentiam, fines imperii, præmiis belli amplificatos prolatavit; trans mare expugnatas evertit arces; civitatemque Parisiorum, inaudito splendore decoratam, et sinon marmore et auro radiantem, viarum tamen stratis lapideis densissimo expurgatam luto, regnandam suo filio tradidit. Hostes igitur diversissimis in locis devictos, acerrimam conjurationum vim edomitam; fames, expugnatas urbes; prælia summa cum virtute debellata, nec non et clades infestas, et Gallorum nomini la-

bem inustam, insigni tandem elutam victoria; quæque soluta vel oratione composita splendent, præclaramque speciem afferunt, carminibus honestavit Guillelmus Brito; quodque decus Ludovico magno defuit, cum omni luce clarescerent litteræ, scriptor unus ex illa barbarorum caterva, ut nuper aiebant, Philippi Augusti, regis sui, nomini circumdedit.

DE VITA ET SCRIPTIS

GUILLELMI BRITONIS.

Guillelmum, Philippidos auctorem, e Britannia oriundum satis intelligi potest ex illo agnomine Britone, Aremorico, Britigeno, quod ipse libris suis præscripsit, sibique indidit; nec recta temporum cognitio nos sinit errare in nomine alterius Guillelmi Britonis, Cantuariensis Prioris, jam pridem vita functi quum vix in lucem ederetur, vel e pueris saltem egrederetur noster Guillelmus; neque pro illo accipi, quem quintum decimum tulit sæculum ejusdem nominis, quique in chronico descripserat res Gallorum gestas, ab orbe condito, usque ad Philippum sextum. Is enim, de quo nostra instauratur disputatio, licet nusquam certis significaverit verbis ortus sui locum, in regione *Ossismiorum* potissimum natus videtur, in ea Britonum regione,

quam nunc finem terræ vocamus, quaque, ut nostri poetæ verba usurpem :

. . . . Tethys
Orbis terrarum et regni confinia finit.
Nec patet ulterius quidquam, nisi pontus et aer.

Philip. XII, 349.

Quæ quidem sententia his inniti potest argumentis : siquando Guillelmus forte inciderit in Præsules et Vicecomites illius regionis, plurimus circa illos illustrandos, sese illa doctrina munitum ostendit, quam solemus tantum de nostratibus paratam lubentius ostentare. Eadem patriæ caritate motus in libro undecimo Philippidos, impensius Gaucheri, comitis Ossismiorum virtutem laudat; atque in duodecimo, digreditur de bellis in Britannia concitatis, otiosusque forsan circa illum excessum videtur; atque ita quoddam indicium pietatis exprimit quo arguitur origo. Cum annus 1198 ageretur, portentosa duo Dæmonis prodigia enarrat quæ in sinu Armorico, in finibus Ossismiorum, eruperunt, seseque alterius testem his profitetur verbis, in eo de Philippi Augusti rebus gestis, libro quem a Rigordo inchoatum brevioribus in terminis constrinxerat : « Eodem mane, vidi egomet ipsum coram episcopo loci, hæc, ut acciderant referentem, et locum *mihi* et aliis ostendentem. » Cumque in ea regione ob nullius officii administrationem versaretur, nulla alia ratione intelligi potest, quamnam ob causam his potissimum immoretur prodigiis, nisi illo commo-

veatur amoris ardore, quo res vel minimas amplectimur ad nostram pertinentes patriam.

Indigenam, ut illo utar vocabulo, et regionis et Britannici sermonis notitiam ostendit certiorem quam ut ab aliis acceperit, quum illud scribit : « . . . Quidam firmaverunt castrum quoddam in quadam rupe excelsa, cui nomen erat *Guarplic*, quod sonat ex Britannico in latinum *mollis plica,* sive *super plicam;* eo quod, sit super sinum maris, vel quia ibi molliter plicatur refluxus maris, in septentrionali latere Britanniæ minoris, quæ dicitur ab antiquo supra mare, unde patebat facilis aditus in majorem Britanniam, quæ nunc Anglica nuncupatur. » (1)

Illud igitur haud immerito asseverari posse videtur, poetam nostrum, in ea civitate ortum fuisse quæ Sancti-Pauli-a-Leone nomine vocatur, vel in pagis circumjacentibus. Ea enim erat urbs in medio ævo optimis studiis referta, adhucque nescio quam famæ retinet memoriam ac recordationem, qua sicut litterarum domicilium hac in extrema parte Britanniæ esse videatur. Hac igitur in urbe prima hausit doctrinæ elementa, primasque arripuit artes, quibus postea eminuit. Multum abest, arbitror, ut nostri majores illud tenerent genus vivendi quod delusa mens nostra sæpius effingit; non enim ita erant solo telluris affixi, ut ne lato quidem ungue a domo paterna abscederent. Vix autem credi possit,

(1) De gestis Philip. Aug. Script. rer. Gallic. t. XVII, p. 82.

quam longinquas, haud ægre, inirent vias, si modo magistri cujusdam doctrina, et discipulorum frequentia celeberrimi percrebuisset; idque haud raro solebat evenire ut, profectus studiorum causa, exules, alienam, veluti adoptione, susciperent patriam. Medunta civitas, ea, tum ut videtur, bonarum litterarum fama vigebat, illucque convenire solebant discipuli, ut Guillelmus noster, *Castalii fontis pocula sitientes*. Hic quoque nobis liceat mirari varias fortunæ vices, quæ ad nutum extollit vel deminuit civitates. Medunta enim, hodierno die, nulla alia re nobilis innotescit, nisi situs amænitate sui, quæ tunc temporis acerrimo studio fovebat litteras, et tanquam schola discentibus patebat.

Huc igitur evolavit Brito noster disciplinæ majoris cupidus, atque inter alumnos receptus, ad altiora erexit animum. Cujus quidem muneris memoriam haud abjecit Guillelmus, altricemque sui ingenii et velut nutricem carminibus exornavit quibus laudat Meduntinenses cives, quod summa cum animi virtute, Anglicanum regem civitati arma inferentem repulerant :

Hoc tibi lingua tui munus largitur alumni,
Ingratum tibi ne me nutrivisse queraris,
Undenis tibi quem, cano jam vertice lustris,
Patria Britigenum, duodennem misit alendum,
Jam tum Castalii sitientem pocula fontis.

Phil. Liv. III. 376.

Ea ex urbe cui patriam posthabuerat, Parisius, eodem ardore studii correptus sese contulit, ut ex

abundantissimis fontibus doctrinam hauriret. Qua fuerit in ea schola usus vivendi ratione, quantum temporis ibi consumpserit in ediscendis sacris litteris, penitus ignoratur, quippe qui ne minimum quidem de hoc scriptum reliquerit, et quo magis firmetur illa sententia satis per se ipsam probabilis, ad Ægidium Parisiensem, Carolini auctorem confugiendum est, qui Britoni nostro his videtur innuere versibus :

Mecum olim in studiis, nunc major doctor adauges
Hos vatum titulos, et dum in sublimia scandis,
Parisii magno cives extollis alumno.

Æg. Par. Carol. v. 498. rer. Gall. LXVII.

Ecclesiæ partes secutus, ut tunc solebat doctissimus quisque, Parisius brevi tempore innotuit doctrina, consilio, prudentia, facultatibusque ingenii, ita ut accitus a rege Philippo Augusto sodales inter regalis domus inscriberetur, præcipuumque caritate locum apud principem teneret, omnique gratia et auctoritate polleret, quem ita salutat idem Ægidius :

Regalis Willelme, domus famose sodalis.

Carol. 497.

Capellani apud regem cum munus adimpleret, siquidem in historia hunc præ se fert titulum, secretorum particeps, Philippum forti atque fideli adjuvit opera, dubiis his in rebus atque spinosis, quas contraxerat implicueratque ob uxorem repul-

sam. Cum enim Papa cœlum et terram commoveret, omnemque vim iræ Philippo regi minitaretur, et quantum id sibi liceret, de solio Philippum deturbaret, rex illa conflictatus tempestate, ut ea fulmina mollirentur quæ dextra jaculabatur totius orbis rector omnipotens, virum quemdam inter cæteros, præstantem doctrina, insignem sapientia consilii, pietateque erga regem commendabilem selegit, quem Romam mitteret tam molestorum procuratorem negotiorum; numquid ad alium confugit, nisi ad Guillelmum Britonem? Qui cum Romæ diu versatus esset, ita res regis administravit sui, ita pontificis vehementissimam inhibere violentiam studuit, ut quibusdam amantior Philippi Augusti videretur, illudque objicerent quasi Romæ inhabitaret, ac velut Romanus civis efficeretur :

Aut quid agis... qui Papam urbemque revisis,
Tam crebro, Willelme, gradu?...
. . . . cujus velut incola dudum
Efficeris : nec enim hæc tam longa frequentia simplex,
Translatio est, sed vera potest habitatio dici.

Carol. 174.

Quem tam gravem et asperum Guillelmi correctorem deprehendimus, Ægidius Parisiensis, ægre ferebat poetam nostrum clerici officium omittere, neque ea uti gratia qua valebat apud Philippum, ut illum ruentem retineret, et, ut ait ipse, mores bonos, Dominique timorem juraque persuaderet.

Guillelmus autem regi inservire non destitit, et usque fidele ministerium navare, cujus gratiam re-

tulit Philippus, cum illum inter familiarissimos habuerit. Ille enim assectari solebat regem ubique, consilio optimus, etsi malus et piger militiæ, ut poetam decet et clericum. Nunquam enim Fratrem Guerinum, Guarinumve, imitatus est. Qui, cum esset in eodem amicitiæ gradu apud Philippum, eademque fere valeret auctoritate, non solum regem prudentia, facultatibusque ingenii, sed viribus et manu adjuvit. Lege enim spreta Ecclesiæ, ne quis aris addictus sanguine manus suas fœdare velit, fortiter in præliis agebat, funeraque edebat per aciem. Assiduus principis comes, Guillelmus Brito plurimis interfuit pugnis quas postea descripsit. Ante oculos aspexit, quos simul et a civibus suis, et ab hostibus repulsos septimo suo repræsentat libro, nullumque aufugium amplius habentes quo sese reciperent. Unus erat ex iis, qui navés conscenderunt Dam a Philippo comparatas ut hostes adurgeret suos; capto Cortraco affuit; Bovinis, ineunte prælio, cœlestem imploravit opem precibus. Hæc ita ipse scribit : « In ipsa hora stabant retro regem, non procul ab ipso capellanus qui scripsit hæc, et quidam clericus, qui, audito tubarum clangore, cecinerunt psalmum : *Benedictus Deus meus qui docet*... usque in finem, prout potuerunt propter erumpentes lacrymas, et singultus immixtos... » (1)

Inconcussam animi fidem cum toties rex fuisset expertus, majus quoddam officium Guillelmo man-

(1) De Gestis Phil. p. 96.

davit, quo argueretur omnis in eum amicitia. Spurium enim filium Karlotum præcipiendum litteris optimisque præceptis informandum tradidit, cum jam annus 1210 inciperet. Quem pupillum tanta cura fovit Guillelmus, tantoque studio præceptis instruxit, ut maximos effecerit profectus, illumque Guillelmus ipse satis magni roboris judicaret, ut emendandam, corripiendam, omnique vitio expurgandam Philippidem, alumno vix quindecim annis nato porrigeret :

Quintus adhuc decimus tibi vix licet annus agatur,
Porrige, Petre, manum, vultuque recollige librum
Propitio, dignumque legi fac protinus ipsum....
Dux et corrector fieri digneris, eidem
Quæ desunt supplens, resecare superflua callens.

Philip. XII, 904.

Ea quum posset Guillelmus regis uti amicitia, ut ad summum eveheretur honorum fastigium, cunctaque arbitrio ageret et ferret, præclarum dedit continentiæ documentum posteris, qui capellani munere contentus, tenuissimi census, et unius *beneficii*, ignobilis plane vixerat ni musæ illustrandi nominis curam tradidisset. *Musa* enim *vetat mori* quos, dum vita suppetebat, a deformi lucro deterruit.

Annus vero quo fuerit natus, quoque mortuus, ut plerumque evenit illis temporibus, certo concludi numero non potest. Cum autem sese undenis lustris natum fateatur Philippidos suæ libro tertio, illudque poema circa annum millesimum ducente-

simum vigesimumque condiderit, anno 1165 natum illum affirmant nostrarum litterarum exactores, illumque supremum obiisse diem anno 1226 peracto opinantur, cum Ludovici, filii Philippi, adversus Albigenses expeditionem, submissamque Aquitaniam referat.

Hanc præter Philippidem quam examinandam suscepimus alia minoris laudis scripsit Guillelmus; primo enim, cum morte Rigordi monachi rerum gestarum a Philippo interrupta penderet narratio, cumque, ut ait ipse Guillelmus, « libellus ille magistri Rigoti a paucis haberetur, neque adhuc multitudini communicaretur, omnia quæ in eo plenarie continentur, summatim tetigit, et prout oculis vidit et intellexit, huic libello suo præposuit, quædam adjiciens breviter, prætermissa ab ipso... » Quæ historia, solum, ut ita dicam, et fundamentum poematis Guillelmi, nulla virtute singulari commendatur, nisi diligentissima rerum recensione, neque inter ejusdem generis scripta meliorem obtinet locum. Iisdem etiam inficitur vitiis, neque melius dicendi genus, neque acrius in dignoscendis fabulis judicium ostendit, cum Guillelmus e Trojanis Francigenarum deducat originem. Quasi autem præclare gesta Philippi nullo adornationis adminiculo egerent, neque ruboris aut candoris fucati medicamenta, nullumque rebus enarrandis cultum adhibuit; idque, ut fatetur, judicio voluntatis : « Magnifici actus sibi sufficiunt, si fuerint veraciter et simpliciter enarrati, et stylum tantum veridicum

sibi volunt cum ad sui extollentiam nullo adminiculo indigeant falsitatis. »

Alterum etiam conscripserat poema, Carloti, alumni sui celebrandi gratia, quod *Karlotida* nominaverat. Nusquam autem repertum fuit, quod quidem subreptum fuerat auctori dum illud componeret, atque his versiculis tantum ad posteritatis notitiam pervenit :

Tibi totius animi virtute dicavi
Exhaustum subito tenui de fonte libellum,
Imposuique tuo Karlotida nomine nomen,
Ut tua lectoris laus perpetuetur in ore.

Philippis autem cui omnis Guillelmi Britonis laus innititur, et in qua pene dixerim decimi-tertii ipsius sæculi gloria ponitur, saltem quod ad poetas attinet, libris continetur duodecim, quorum si colliges versus, non multum abest quin decem millia numero conficiantur. Quod opus inceptum, quum jam Philippus trigesimum tertium regni sui annum ageret, totaque potentia vigeret, debellatis hostibus, firmatoque solio, intra tres annos conditum, lituris et omni labore limæ attenuatum absolutumque post duos annos evasit. Quanta cum admiratione illud exceperint æquales, satis indicant Ægidii Parisiensis, quas supra retulimus, laudes. Quis enim melius illo tempore faciem poeticæ exprimere atque reddere valuisset? Quisnam doctrina abundantior, quisnam antiquorum spoliis ornatior in lucem prodire potuisset; quisnam meliori judicio instructus, ita

vitam degerat ut cunctis interfuisset rebus, secretorum sermonum particeps principis atque consiliorum ? Quam primis ab annis, tenerulisque unguibus, attigerat doctrinam, cum irent vitæ suæ dies, adauctam cumulaverat Guillelmus, et adeo non senectus ingenii vires effractas attriverat, ut contra maturitatem quamdam iis addidisset.

Poema illud quo vita Philippi-Augusti, quasi depicta tabella omnis apparet, non ita vates noster intra se formavit atque composuit, ut Iliada, Æneidave referret. Illud enim propositum non habuit ut fabulam conderet epicam; et licet Galteri de Castellione laudes et nomen inclytum æmularetur, sapienti judicio, hoc tamen non suscepit opus cujus felicem ortum priora tantum sæcula fovere solent, cujusque nihil nisi umbram excultissima tempora litterarum studio possunt depingere. Quo enim omnis abiit illa Galteri cura circa Alexandrum laudandum? Nihil inde arbitror æqualibus suis boni contigit, nisi doctrinæ auctoris inhiarent, nullo inde fructu percepto. Quin etiam, si cujus ætatis nostræ in manus devenerit Alexandreis, semel evolutam illam abjicit, hoc contentus vidisse quæ tum fuerit litterarum conditio, et fortasse ridet tam inepti ingenii scriptorem, qui quum cæteri tot et tam multi gentis suæ carminibus depingendi superessent, ad veterum decurrit historias, unde nescio quid fabulæ genus eruat, majori delusus imitatione. Sua enim est ætas fabulis epicis, quam citra ultraque existere nequeunt; neque ad illas condendas

satis est expoliti ingenii, omnique artificio instructi poeticæ; imo quæ cæteris in rebus prodesse solent, his officiunt, aut nullius sunt momenti. Haud affirmaverim Guillelmum illa præclare intellexisse, atque suo perpendisse animo naturam poematis epici quæ sit, quæ desideret; ille tamen cum veteres summo studio evolvisset, atque ad illos imitandos vi propria ingenii inclinaret, has in angustias insilire noluit, nec tantam versare molem tentavit. Neque igitur in inveniendo fabulæ argumento uno et simplici, quod tamen varietatem narrationum lepidam acciperet, legentiumque tædio occurreret; neque in effingendis personis quæ, quum majus aliquid humano præ se ferant, humanæ naturæ infirmitatem deprehendi non sinunt; neque in illa commovenda machina e qua Dii eruuntur, ut hominibus immixti, prout fert libido, consilia disturbent eorum, fœdera, aciesque pugnantium confundant, ullam adhibuit operam. Quam quidem ob incuriam laudandus mihi videtur. Quid enim profecisset, cum multis vigiliis multoque labore poema elucubratum expressisset? Illa enim ætas, haud inficiandum, summa facultate ingenii, qua potissimum fabulæ epicæ adornari solent, carebat. Nullam vim eximiam excogitandi, apud illos saltem qui in excolenda latina oratione versabantur deprehendas. Exiles, inopes, jejuni in rebus inveniendis reperiuntur; nihil amplum, nihil fusum, nihil multiplex et varium excogitant; hi semper velut in arcto constringuntur; nec vias novere, quasi diverticula amæna,

quibus legentes recreent atque redintegrent. Illud quidem mirum videri potest quanta in inopia inventionum mentes exareant. Fontes ad limum exhaustos dixeris, neque satis largos ex antiquitate fluctus eliciunt ut iterum ad plenum manent. Ornatius tantum dicendi genus rectiusque inde reportare solent. Hoc enim infirmitatis vitio in rebus inveniendis totum medium ævum laborare mihi videtur; et quamquam innumeri pene sermonis vernaculi poetæ conscribuntur, cavendum est tamen ne falsa rerum decipiamur imagine, paucissimi novum quiddam afferunt; paucissimi numero propriam rem quamdam exquirunt; in communibus atque in medio sitis habitant, et veluti quos novies alligatos coercitosque stagnis Tartarei lacus vates depingit, illi iisdem vestigiis inhærent, eosdem circuitus remeant, eosdemque gyros composito iterant gradu.

Quamobrem potissimum inter primos collocandus mihi videtur Guillelmus noster, quod novum iter quæsiverit, neque in eodem pistrino eamdem contorquere molam voluerit, novumque genus attrectaverit. Ne quis autem contendat, in hoc deerravisse nostrum poetam, quod præsentia sumpserit facta carminibus illustranda suis; neque hanc esse materiam poeticæ convenientem; melius historico stylo illa describi, quæ neque fabulis ad priora sæcula pertinentibus, neque tenebris commendari possunt, quibus origines gentium et prima tempora offunduntur. Respondebimus non ita Ennium censuisse, Romanarum patrem litterarum, qui cum describeret

punica bella veram laudem vatis assecutus est, annalesque condidit omni poetico ornatu decoratos, quos ex reliquiis quantuliscumque superantibus, atque e fama eximios dijudicare possumus. Numquid Lucanus, plusquam civilium bellorum actor, tam multis a Pompeio atque Cæsare annis decesserat ut æqualis fere non haberetur? Quæ quidem exempla eo minus afferre dubitaverim quod Guillelmus Brito, licet longe inferior pro ratione temporum, cum illis comparatus non adeo sordet; plurima enim sunt apud eum quibus naturalis et vere poetica virtus, ut ait Barthius (1), plane elucet. Si sæpius multa ignave, frigide, sordideve loquitur, haud semel altius assurgens attollit animos; dumque vires totas expromit ingenii ingenti Lucani spiritu, instinctus videtur. Plurima vividioribus depicta coloribus ante oculos versantur; sæpe remissiore nisu, circa gratissima loca circumvolitat, dum situs regionum describit, et facili versu, vernantes agros, civibus refertas urbes, piscosos fluvios amplectitur; si forte, idque haud raro accidit, concionantes viros in scenam induxerit, ita dicentium induit affectus, ita cujusque accommodatam ingenio orationem affingit, ut vel Lucano non adeo inferior abeat. Eodem amore patriæ flagrat, nec minori incenditur dolore animi oratio sua si quædam adversa acciderint. Rebus prospere fluentibus et ad voluntatem Philippi in cœlum effertur; summa perfun-

(1) Barth advers. Liv. iv, c. vi.

ditur lætitia Guillelmus, atque exsultat stylus si victores de præliis discesserint Franci; luget autem, sordesque, ut ita dicam, dolentis induit, si cum altera parte pugnantium fuerit victoria, regisque spes exciderit elusa. Galliæ decus fovet, illius gloriæ impensius consulit, nec illam obscurari patitur; hanc virorum fortium matrem prædicat, hanc altricem fortitudinis, cujus si cui semina semel injecerit, nec fides mutata, nec sedes mutabit animum, ut de proditore Boloniæ comite vates exclamat fortiter agente in pugna :

Tam liquido Francis traxisse parentibus ortum;
Belligerando ipsum probitas innata probabat?
Degeneremque licet tibi culpa, effecerit ipsum,
Non tamen istius pudeat te, Francia, culpæ, etc...

Philip. Lib. XI. 596.

Neque illa tandem caret judicii prudentia quam expostulat Horatius ab auctore carminis promissi. Licet enim historias inprimis condere velit, hæc amat, hæc spernit, quædam autem, ut præcipit Flaccus, quæ desperat *tractata nitescere posse, relinquit.*

De Philippidos dispositione.

Guillelmus igitur rerum actarum jam, oratione soluta, diligentissimus scriptor, locupletissimusque testis, ordinem temporum secutus totum digessit duodecim libris Philippi Augusti regnum; opusque

posteris tradidit unde petant necesse est, totam rerum seriem, et quæque ad illorum temporum conditionem, ad belli gerendi, reique civilis administrandæ rationem pertinuerint. Quis enim melius descripserit qui tum fuerit status Galliæ, quibus effloruerint opibus civitates, quibusve auxiliis, consiliis vel artibus, subjectis *feudalibus* regiam auctoritatem adauxerit Philippus?

Ille enim statim ut in locum parentis morbo prægravati suffectus, prudentissimorum consiliis virorum adjutus ad id intendit, ut procerum deminueret opes, utque in dies amplificaret regis imperium, ne majorum omnis effusus labor atque irritus periret. Ea enim fuit propria laus illius regum sobolis, quod elevaverint optimates, qui, conjuratione facta, in unum coalescere solebant, ut regem tanquam minimum inter pares arctos intra fines cohiberent. His consiliis haudquaquam defuit Philippus, nec illi deficiebat vis animi, acumen ingenii, manus ad agendum prompta, et summa corporis alacritas, quibus tanquam adminiculis inniteretur. Is igitur ratus, nihil firmum, nihil majus adversus proceres fieri posse, nisi rex cum plebe et clericis faceret, illos sibi gratia devinciendos curavit ut primum. Ideo, pravis opinionibus ætatis suæ indulgens, quippe qui istis ipse inficeretur, Judæos expellit, ærarioque amplissimas illorum addicit divitias; lege nova *blasphemos* afficit; utque videretur multum plebiculæ utilitatibus consulere, *campellos* mundatos celsis mænibus circumcingit.

Ecclesia, quum maximis ditesceret agrorum possessionibus, acerrime vexari solebat a comitibus, in quam indefesso impetu ruebant, omnibusque probris afflictam urgebant; cujus patrocinium, haud cunctabundus suscepit Philippus, unaque et eadem expeditione multas expugnat civitates, et *Coterellorum* incompositas catervas clade afficit; ita, ut ait vates, velut *tiro* novus Crucifixi :

> Primitias operum, sic primula prælia Christo
> Ecclesiæque suæ devota mente sacravit.
>
> Philip. Lib. I. v. 469.

Quæ cum forti et valida gererentur manu, Dominis maximum injecere timorem ne adolescens audacius ageret, nimiumque exsultaret, inter se ideo fœdus ineunt; Philippus autem bello sese regem probavit hostesque sensere quid posset. Quem vix adultum putabant, invenere :

> Corde senem, facto juvenem, vi mentis adultum.
>
> Philip. Lib. I. 525.

Frustra dux Odo Burgundiæ vires adunat, comparatasque copias instruit quas undique belligeris fæcunda viris mittit Burgundia, rex impiger, ex improviso mane hostes aggreditur, duxque viribus fractis, superbos demittit animos, *projicit ampullas*, seseque regis hominem profitetur. Rex ita, ineunte vix regno, maximam de se concitabat spem, manu atque consilio præstans, auxilioque Dei munitus cujus partes acerrime amplectebatur.

At brevi (1), pace soluta, bellum redintegratur, Philippumque ciet ad arma. Flandriæ comes, quæ opibus variis et rebus abundat, injusta possessione prædia detinens, fidei suæ a Ludovico septimo commissa, de illis restituendis rogatur a Philippo. Cum justa petenti reddere abnueret Gallico regi, arma moventur ex utraque parte; jam *sævit in bella comes atrox*, furorique suo laxas immittens habenas, irruit in Galliam, urbes expugnatas suæ facit ditionis,

> Nilque, ait, est factum, nisi Flandro milite portas
> Parisius frango, ni parvo ponte dracones
> Aut medio vici vexillum pono Chalauri. II, 227.

Rex interea haud minus in hostem desævit, adstantibus obsistit, jam pedem referentes urget et premit; Bobarum mænia obsidet, et armato cingit milite; utrinque acriter depugnatur; incassum regis milites inaudito armorum genere opprimuntur, quæ molares ingentissimi ponderis librant :

> Qualia dextra Jovis jacit ira fulmen in hostes.
> Phil. 356. Lib. II.

Comes ut obsessum liberet oppidum pugnam offert. Qua occasione arrepta, vix Philippus continetur ne, appropinquante nocte, certamen ineat. Postero autem die, mutatis consiliis, comes pacem implorat atque colla submittit. Nec satis illa victo-

(1) Philip. Lib. II.

ria Deus se fautorem Philippi partium ostendit, miraculo id insuper præclarius denuntiat. Circum Bobas enim seges ab hostibus conculcata, *rediviva renascitur omnis* his in locis quæ tenuere castra regis,

Ast ubi Flandrorum manserunt agmina castris
Nulla seges viruit totoque refloruit anno.

Philip. II. 455.

Inde Philippi ad Angliam arma vertuntur. Rex hujus regionis, cum Gisortum vi occupasset ereptum Margaretæ, sorori Philippi, rex quosdam alios præ se ferens honestos belli titulos, arma parat, accitisque sociis, Uxellodunum expugnat. Cum acriter castrum Radulphi obsideret, obsessosque in eo erat ut opprimeret, ecce Richardus, filius Anglicani regis, adest fortique animo proponit ut

Terminet una dies longæ certamina litis,
Jus a non justo dirimat fortuna manusque.

II. 596.

Hæc regi placet sententia; jam dispositæ acies signum exspectant ruendi, cum subito a Deo immutatur Richardi mens, atque reges ad pacis fœdera redeunt.

Cum inter christianos reges (1) incesseret dissensio, districtique civilibus bellis Asiam negligerent, Saladinus captam evertebat Hierosolymam,

(1) Philip. Lib. III.

sacrosanctæ crucis ligno ablato, cunctisque ferro peremptis christicolis debacchabatur. His nuntiatis quum incenderetur dolore tota Europa, Philippus Henricusque, rex Angliæ, ambo se signant cruce, quum subito a dæmone suscitata lis inter illos exoritur. Quem lacessebat armis Richardus, Tolosæ comes ad regem suum confugit, atque extemplo Alverniam Philippus occupat; mox Vindocino Gisortum advolat. Collecto exercitu Henricus accurrit; jamque in eo erant ut consererent manus, cum reges sermonem ineunt, celeberrimæ illius ulmi sub tegmine, quæ cum Anglos æstu torrido defenderet, Francique ab Anglis deriderentur, a Philippo eversa, fit prælii causa. Rex Angliæ aufugit, brevi autem pristini decoris memoria fugientibus recursat; resistit Henricus, militesque suos adhortatur ut firmo gradu Francos excipiant; quam orationem magnopere probans Richardus, qui a Leone nuncupabatur, elata concione vires exercitus sui describit et his Anglos increpat :

> ..... Quæ nos segnes mora detinet? aut quæ
> Segnities nostros ignava *bituminat* actus?
> Cur alis quasi viscatis hærere videmur.
>
> Liv. III. 325.

Mox prædatores, agmine facto, Galliam invadunt, nec villis, nec domibus, nec viris parcunt; omnia agunt feruntque, plurimosque incendunt vicos; at quum Franci « *non ita sint faciles terrore moveri,* » Meduntenses defensionem parant, atque *ordine pul-*

chro, gradum reprimere cogunt Anglos; suaque fortitudine nomen Meduntæ in ævum prorogabitur. Rex autem citato cursu fertur ut suis præstet auxilium :

Haud secus Hispanas Carolus properabat ad oras
Quando Marsilii corruptus munere regis
Infelix Ganelo Francorum tradidit alas
. . . .
Calcibus assiduis latus indefessus utrumque
Cornipedis fodiens, respersus pulvere vultum.

Lib. III. 325.

Pongibovi Clivo adsistit. Adventu regis reficiuntur animi, metuentesque Angli ne quid novi ingrueret, discedunt. Barrarum Guillelmus, fortissimi animi eques, inclytæ gentis, Francigenarum gloria, præstans viribus, moræ impatiens, quum Philippus, donec rediret dies, exspectaret, irruit in hostes, et quibusdam tantum stipatus maximæ virtutis militibus accerrimam instaurat pugnam; cumque Francigenarum Angli impetum ferre non possent, aufugiunt :

Nec reperire queas in tantis millibus unum
Qui sua mille velit calcaria vendere libris

Phil. III. 600.

. . . .
Anglicus ex illo rex tempore non fuit ausus
Armato nostros adoriri milite fines.

Brevi autem, derelicto patre, Richardus insperatam vim addit armorum Philippo qui, Cænomano et Turonum urbe captis, ad pacem conjungendam

Henricum adducit, miserrimum omnium patrem atque regem, quem sua proles, omine lævo genita, odiis exercitum, summo luctu et denique morte affecit.

Mortuo patri suffectus (1) Richardus, cujus vehementissimæ vis naturæ effervescebat, voti reum patrem exsolvere et sacras oras adire statuit; cumque firmissimæ jungerentur amicitiæ fœdere, ut eodem uterentur contubernio lectoque eodem, reges, rebus suis compositis, sanctam suscipiunt militiam. Philippus, impiger et providus, innumeras onerat naves, et classe parata, propulsus *zephyri spiramine movit ab urbe*

Italiæ clarum posuit cui Janua nomen.

IV, 19.

Et multa passus, multisque exagitatus procellis Siciliam tandem appulit, auxilio Dei devictis ventis et pelago. Haud segnius properans eamdem insulam devenit Richardus tantis hospitibus gaudentem. Brevi autem inter amicos incessit divisio, invidiæque exarsit flamma, propter coutumeliam germanæ Philippi a Richardo impositam, quippe qui illam repudiavisset, querens quod fuisset a patre suo constuprata. Quo urebatur dolorem penitus recondens in animo, Philippus naves solvit, et *Paschæ nocte sacra*, allabitur Acharon. Mox vallis et fossis undique urbs circumcingitur, atque brevi

(1) Philip. Lib. IV.

illam rex expugnasset ni socium maneret suum, cum illa captæ urbis honorem communicaturus, nolebat, *enim*, *tanto solus gaudere triumpho.*

Ph. Lib. IV, 215.

Richardus tandem advenit, et urbe Christianorum in potestate redacta, mutatur rerum facies :

. . . . . Jam Magometus ab omni
Exulat ore procul.....

IV, 231.

Ascalona, Jope, Gaza eodem impetu domantur, nec victoriis regum ullus imponi posse videtur terminus, cum subito febris Philippum invadit; ungues, capillos excutit, nullaque salutis superat via, nisi patriam redeat. Hortatu igitur procerum Galliam proficiscitur, et *propria* revisit, *sanus et in vultu solito ridente rubore.*

IV, 305.

Richardus interea quæ paraverant reges tot pugnis, vi aut incuria amittebat. Tristior in diem fortuna Christianos urgebat. Omni exercituum flore præcepto, egressu tacito Richardus discedere cogitat de terra tantarum cladium teste. Ille, dum metuit multos, quia multos insita mentis audacia læserat, veste privata per regna hostium iter faciebat, cum insidiis exceptus ducis Austriæ, quem indigno affecerat dedecore, in vincula conjicitur. Magno argenti pondere tandem liberatus,

. . . Albidiam post tempora longa revisit.

IV, 429.

Johannes interea, qui dum frater aberat, regnum occupaverat, fœdusque cum Philippo percusserat, Richardi reformidans æstus iræ, Francigenas Ebroïcis versantes, ad convivia vocatos enecat, ut tanta cæde fratrem sibi conciliaret. Iratus Philippus, Richardi possessiones multo cum milite ingreditur, multasque urbes oppugnat, incendit, prædasque exaggerat, cum subito ad Fractam Vallem rex Anglicus e latebris erumpit, territos disturbat Francos, *fiscalia* que instrumenta capit, quæ Galterus instaurare jussus est.

Hos inter reges (1) quos *duos amor unus, spiritus idem, una fides* (2) conjunctos olim tenebat, atrocissimum geritur bellum. Richardus et Philippus eodem mentis ardore, eodem iræ impetu percelluntur, nec ulli rei parcunt, ut se invicem maximis affligant cladibus : arbores, culta, urbes, vicos, ferro et igne cuncta conficiunt. Britones, Bellovacenses omni bellorum peste conflictat Richardus. Haud segnius rex Philippus arma movet, Dangutum expugnat, atque tumentem animum Richardi haud semel deprimit. Dum autem Gaillonis muros obsidione cingere parat, jaculo vulneratur. At

> Fortior et multo solito indignantior iras
> Suscitat et frendens sitit arma vigore resumpto,
> Ut coluber vetula nudatus pelle nitenti
> Ad solem tergo dentes armare veneno
> Perstat. v, 270.

(1) Philip. Lib. v.
(2) Philip. Lib. iv, 111.

Et interritus summæ virtutis præclara multis in locis edit documenta. In primis, cum omissis Malevicini objurgationibus, quibus nimium effervescentem moderari tentat, Gisortum properat atque exclamat :

> Absit ut incæptum pro quolibet hoste relinquam
> . . . .
> . . . . Iter, refugove gradu vestigia vertam.
>
> v, 401.

Hostesque versos fundit, obtruncat, allidit, multos nobilissimos e militibus Anglis capit. Pons autem Gisorti frangitur, delapsusque in undas Philippus vitam finisset, ni equus multa vi et summo nisu indemnem ad ripam ulteriorem rectorem suum transfretasset. Ecce autem Richardo acerbum paratur funus; ecce dies supremus advenit, quem fluxa mortalium gloria avertere nequit. Is enim dum avaritiam sequitur, et Achardum quemdam cogere vult, ut restituat thesaurum in agro repertum a villico, dumque nihil precibus proficit, cohortes concitat, et Calacis, in Lemovicis, admovet castra. Urgetur obsidio, instant hostes, jam labant mænia; una tantum jam superest fracta turris; obsessi tamen obnituntur, et totis viribus tendunt arcem defendere, quum Atropos, indignans sacros dies sanctumque Quadragesimæ tempus a Richardo violari, avaritiam propter, Parcas sorores ita alloquitur ut

> Clotho colum nudet, Lachesis sua pensa reponat.
>
> v, 583.

Extemplo fatalis arundo per auras allapsa humerum Richardi transadigit, quem Veneris nimius usus a medicis jam refectum vita exemit.

Richardo mortuo (1), Angliæ gubernandæ cura Johanni fratri suo cesserat, qui corde fallaci, omnis fidei violator, cum Philippo rege brevi compositam abrumpit pacem, dum comiti Marchiæ sponsam eripit, atque Augei, comitis, castrum quod voce populi Driencuriæ nuncupatur obsidet, indefensumque et omni auxilio destitutum occupat. Qui comites læsi, cum ad regem confugissent, hujus castigandæ injuriæ curam suscepit Philippus, atque jussit ut Johannes causam dicturus in curiam veniret. Qui primum litteris dolosis, et omni mendacio verborum, simulataque fide, regem delusit, tradititque tandem Philippo duo oppida, omni habenda jure, si defecerit ultra. Die dicta, quum verbum præstare nollet Johannes, Philippus Normanniam invadit cum exercitu. Multa oppida, inter quæ Gornacum aquis submersum, rupto aggere quodam, capit. Quo quidem confecto bello alter exoritur Johanni infestissimus hostis, Arthurus scilicet, fratris sui filius, dux Britanniæ, qui quam plurimos e Pictonensi regione socios evocat atque arma movet. At brevi Arthurus, fraude patrui, noctu interceptus capitur, in carcerem detruditur. Quum neminem inter adolescentis custodes reperiret qui fraudem manu adjuvare vellet, ipse patrandam

(1) Philip. Lib. VI.

cædem suscepit Johannes, Rotomagumque petens, eo in cymba Arthurum deducit, et frustra multa precantem gladio trucidat (1).

Tam tetra morte interemptum Philippus (2) ægre ferebat, atque dignas a Johanne pœnas sumere statuerat. Vix igitur æstas armatos in bellum vocabat, quum subito Andeliacam insulam, turri a rege Richardo munitam, invadit. Locus ille cum satis per se firmus esset, firmiorem insuperabilemque prope rex Anglorum effecerat, *rupe Gaillardica* duplici munita muro. Hanc rupem igitur Philippus, turribus maximæ molis atque ad murorum altitudinem erectis, obsidione premere parat, dum prædatores huc et illuc vagantur in campis, ciborum copiam præbentes obsidentibus. Quos Johannes nota arte aggredi parat; dispositisque militibus, media nocte, cum

. . . Verbere jam triplici se castigaverat ales
Altisono lucem qui gutture præcinit almam,

Ph. VII, 201.

plurima comitante turba in semisepultos somno irruit. Sæva exoritur cædes, conturbati fugiunt Franci, quos pudore commotos, comites ad pugnam reducunt. Mox *conficiunt, capiunt, occidunt* hostes.

Jamque quiescebant acies nondumque sopori
Se dederant, et lux sub mane rubescere primo

(1) Philip. Lib. VI.
(2) Philip. Liv. VII.

Cœperat, et radios tremulis crispabat in undis.
Ecce Leonino classis cursoria fluctus
Impete Sequanicos prora findebat acuta,
Arma virosque ferens; iterum clamatur ad arma. .

Lib. VII, 258.

Novum genus instauratur pugnæ; utrinque circa pontem acriter dimicatur; plurima hic eduntur funera; nec sine damno tandem classis repellitur; quum ponderis immensi trabs quædam prægrandis, in naves provoluta plurimas attrivisset. Mox Andeliaci castrum evertitur, Gauberti virtute et arte, qui immersus aquis ignem succendit ab illa parte, quam nullus tuebatur defensor. Quo quidem capto castro, haud minori cum labore Rupes Gaillardica superabat expugnanda, quæ ab omni parte tuta, obsidione capi vix poterat, vallibus quidem circumdata scopulisque arduis et rigentibus, et omni tormentorum genere minax. Hanc Philippus circumdat militibus :

Julius haud alia legitur virtute, jugosa
Durrachii spatia et campos *murasse* patentes,
Usque sub Hadriacos cæmentans mænia portus,
Ne Pompeianis Romanorumque catervis
Declinare fuga bellum civile liceret.

Lib. VII, 459.

Tum teterrima fame pressi hostes, mulieres, pueros, senes excludunt, qui deformes vultu, a suis repulsi ab hostibus trucidantur. Quatuor jam abierant menses, ultima passi fuerant obsessi cum rex

eorum misertus illos abire patitur omni copia ciborum refectos. Transacta autem hieme,

Et jam finis erat hyemis, tellusque calore
Impregnata novo flores gignebat et herbas,

Lib. VII, 608.

rex cohortes suas arci propius admovet, majores exstruuntur aggeres, atque Franci, dum totas expromunt vires, turrim tandem humi dejiciunt; Bogius et fidi sodales subrepunt manibus pedibusque per ardua collis, et demum ad summam perveniunt arcem, patefactaque via per ignem Franci fortissimum comitem Bogium liberant. Rex interea Johannes, omni spe deposita, attritis viribus, Anglica petit regna, et fugit

Postmodo Normannas nunquam rediturus ad oras.

L. VII, 833.

Philippus cum sciret vincere, uti victoria haud nesciebat, neque, ut quieti indulgeret armorum lætos successus in flore præcipi, neque ad maturam frugem non pervenire patiebatur; ergo impiger, alacris animi, atque strenuus, ut jam

Solverat... zephyris melioribus annum
Frigore depulso, veris tepor, et renovari
Cæperat et viridi gremio juvenescere tellus,

Lib. VIII, 1.

Normanniam ex integro subjiciendam militibus suis complet, et nova instaurat prælia. Multæ sese

tradunt urbes victori, nec Cadomum civitas, potens, opulenta, speciosa situ, fluminibus decora, pratis et agrorum fertilitate (VIII, 26) auctoritatem Philippi detrectat. Guido interea, dux Britonum, regionem Abrincam invadit, quæ unda Coethni alluitur, vicibus alternis, atque monachorum sedem quam sibi, ut fertur fama, sanctus Michaël summo in monte sibi sacravit, incendio diruunt. Cujus nefandi sceleris Philippus ultor, e novo sedem ædificat, novisque opibus adauget, adeo .... *mala convertit Deus in bona* (L. VIII, 151). Paucos intra menses ita cedit in regem hæc omnis Normannia quam e septentrionalibus oris advecti homines, auspiciis et ductu Rollonis occupaverant. Debellatis hostibus parcens, Philippus, qui, ut ait alio in loco Guillelmus, *natus erat parcere subjectis, debellare superbos,* suis uti legibus Normannos sinit, nulla re nisi in melius mutata. Devictis Pictonibus, quos insidiis exceperat, Henricus clemens, fortius audet agere, regionemque Pictonum cum rege Philippo tentat subdere. Lochia, Chinonem,

> Cui nec fruge solum, nec baccho vitis avara est,
> Endria cui magnum decus addit et utilitatem,
>
> Lib. VIII, 410.

rex ipse obsidet atque

> Vix anni longo spatio sibi subdit agone;
> Tantæ molis erat, tantas evertere turres!
>
> Lib. VIII, 428.

Ecce rex Angliæ Johannes majus incœptum movet, multisque navibus comparatis, Rupellas tentat appellere, faventibus Pictavis. Rex autem Philippus approperat, finibusque suis hostem arcet, et quærit qua via sibi possit Pictones devincire mutandæ fidei levissima ingenia.

Sed quæ firma satis innexio Protea nectat!
Nec Pictos constringit amor, nec Protea nexus.

Lib. VIII, v.

Inde adhortante, potius imperante summo pontifice, bellum instauratur adversus Albigenses, deterrimo infectos veneno. Rex primus *zeli fervore,* (521) *corde pio motus*, multos immittit milites, quibus deducendis filium suum præponit. Hac in regione, multa ineuntur prælia, multæ exoriuntur cædes, debellantesque viros precibus adjuvant sacerdotes exemplo

Moïsis pugnante precantis Hebræo.

L. VIII, 612.

Simo Montisfortis, sacræ fidei defensor, cum rege Arragonensium conserit manus, virtutemque præclaram ostentat, cæsoque rege Arragonensium, hæreticorum fautore, cæteri perimuntur. Johannes autem, cum nec armis, nec rebus hæreticis succurrere posset, vexabat tamen ecclesias, et clerum omni injuriarum sævitia.

Ruit in omne scelus, laxat frœna gulæ, nullum avaritiæ modum imponit suæ, sanctos pontifices e tota

Anglorum regione exsules exterminat nec parcit monachis :

> . . . . . Vel quos cistercius ordo
> Candidat aut habitus denigrat Cluniacensis
> Ita ut Merlini pateant *problemata* vatis
> Quem dixisse ferunt : olim dominabitur Anglis
> Argento urticas et lilia qui spoliabit.
>
> L. VIII, v. 940.

Haud alio furore percitus Otho, idem admittit scelus, nec ambo patiuntur iram Dei quiescere.

Quum Deus dementet, quos vult perdere transversosque ad perniciem agat, comes Boloniæ, vesania mentis perculsus adversus Philippum, conjurationem ordiri incipit, atque ad Othonem versus, ambo amicitiam ineunt, quo fœdere ut regem Francorum interimant, interfectoque Philippo, Dei servos e regno expellant. Mox alium nefandissimi consilii participem sumit Ferrandum, Flandriæ comitem, regemque Anglorum adit, ne quid intentatum relinquat. Ea non erat ingenii Johannis natura, ut hanc amicitiâm respueret, nique Deus in melius tam fœda vertisset, sacrilegosque suis laqueis illaqueasset, de rege Francorum, deque vera fide actum erat. Ille autem impavidus, curaque veræ fidei commotus, proceres in concilium advocat *Suessone,* et paucis verbis habita concione,

> More suo brevitate studens substringere verba,
>
> Phil. Lib. IX, 157.

bellum statuitur, dieque dicta conveniunt milites,

uno excepto Ferrando, Flandrias comite, qui sese jurejurando cum Johanne et Othone obstrinxerat. Quod quidem ut rescivit Philippus, classem parari suam jubet, atque Dam ut deducatur præcipit. Littore Bolonico diffunditur

> . . . . In mare classis
> Vixque satis quo currat habet, nimis arcta videntur
> Æquora tot ratibus...
>
> Lib. IX, 297.

Quæ numero haud inferiores spectabantur :

> Navibus Argolicis quas Eurus in Aulide longo
> Tempore detinuit, iter impediente Pelasgum
> Neptuno, ne Troja cadat quam struxerat ipse.
>
> Lib. IX, 203.

Johannes autem cui tanta classis gravissimas clades minabatur, ad solitas fraudes decurrit, sese que pontifici submissum regem profitetur. Cum vero classis oras perlegeret candentes Bloetinorum, rex ipse Flandriam occupat, territamque sibi subdit, quum subito nuncius alter super alterum adveniens hæc affert : sic portus Anglicam classem fauces observare, ut omnes in imminentis exitii periculo versentur ni ipse Philippus adsit. Rex igitur advolat, hostem fugat, consilioque Angliam invadendi omisso, plurimas reversus urbes capit, devictisque hostibus Lutetiam redit. At brevi altera instauratur conjuratio, omnique fœderum spreta religione, Insula fallax intra muros Ferrandum accipit comitem exitiumque sibi parat. Philippus enim ratus nihil pro-

ficere dum civibus infidis parcit, flamma hanc civitatem eruit, miserosque incolas disturbat, atque urbs tota æquata solo jacet ne quid ibi

. . . Maneat habitabile denuo Flandris.

Lib. IX, 691.

Triste documentum quid ira Philippi valeat!

At non jam unus aut alter adversus Philippum assurgit hostis, undique collecti (1) quos vesana rabies, et cæca religionis odia sollicitant, adversus Francorum regem moliuntur arma. Sævius jam ingruit bellum, cui occurrere non dubitat Philippus, quippe qui Deo præstet operam. Rex Angliæ innumeras jam collegit naves. Primo veris tempore, hic longinquas lacessiturus oras proficiscitur, Rupellas que appellit per mare velivolum. Andegavis eruitur a Johanne, quem frustra Philippus insequitur; latet enim, et viam salutis fugam tantum requirit. Rex igitur Flandriam proficiscitur, belli administratione Ludovico relicta filio, qui brevi se natum fortissimo patre ostendit; qui enim Andegavim recipit, atque pænas a proditoribus exigit, dum

. . . . Magnus ad altum
Fulminat Escaldum genitor, dum subjugat hostes,
Dum procul extremis Flandrorum pugnat in oris.

L. X, 341.

Unde

Tam sibi continuis exsultat Francia palmis,
Ut vix a prima possit distare secunda.

L. X, 343.

(1) Philip. Lib. X.

In unum coalescentes Angli, Pictones, Germani, Flandrique et quos mittit Burgundia, universi frementes adstant quos acri magis incendit oratione dux Burgundicus Odo moræ impatiens. Oraculo quodam altius eriguntur animi; mulier enim, regis Portigalensis filia, præstigiorum haud inscia, hoc Merlini vaticinium profert :

Rex ab equo multa juvenum vi stratus equorum
Tundetur pedibus, nec eum continget humari;
Altisonoque comes plausu post prælia curru
Vectus Parisiis a civibus excipietur.

Lib. x, 555.

Otho tandem, concilio advocato, impiaque oratione habita, qua nefandissima mentis consilia aperit, spolia et prædas distribuere jam præsumit :

Et reliqui proceres habeant quod quilibet optat,
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

Lib. x, 590.

Monachos lacessit conviciis atque Bovinis orituram pugnam indicat. Philippus rex securus, nec dubitans quin suis partibus victoria conferatur, sacram dominicæ requiem observans, modice somno parabat indulgere, cum nuncius accurrit :

Agmen in extremum, clamat, jam prosilit hostis,

Lib. x, 819.

Extemplo rex brevi Domino prece admota :

Festinemus, ait, sociis succurrere nostris ;
Non irascetur Deus, arma quando feramus
Illos si contra, sacrato tempore, qui nos
Impugnant. L. x, 826.

Hæc dicens armis corpus præmunit et alto
Insilit altus equo lituumque horrente boatu
Circa ipsum, cursu reduci festinat in hostem.

L. x, fin.

Manus jam conseruntur (1). Maxima cædes editur; hinc et illinc acriter pro se quisque dimicat ; at inter cæteros virtute præstat Philippus. Omnem aciem circumit, per medios hostes, nulla periculi ratione habita, cæcus irruit ; ad Othonem pergit, dumque audacior impetu fervido rapitur, a milite quodam, uncis ad terram sternitur, mox autem equo insiliens, sævior factus furit in hostes. Haud segnius interea Otho Francorum vires effringere contendit,

Qualiter ille Brias Phlegræis horridus armis,
Centenis manibus fidens et corpore grandi.

L. xi, 357.

At Philippus illius in vestigiis hæret :

Nec minus Othonem pergebat adire Philippus
Alter ut Æneas Turno pugnare secundo.

L. xi, 376.

Uterque tandem infestis concurrit armis. Jam subit Guillelmus Barrensis, Othoque supremum diem obierat, ni a suis circumdatus, prælio ablatus fuisset. Angligenæ vero tanti cum nequirent vim impetus sustinere aufugiunt cæsique trucidantur a Francis.

(1) Philip. xi.

Finito prælio (1) rex mansuetam indolem, ut solet, induit comitique Boloniæ capto parcit; qui cum, postea, tanti beneficii immemor, ad Othonem litteras misisset quibus illum adversus regem incitaret, in carcerem detruditur; cæterique captivi nobiles, singuli in urbe clauduntur, atque Ferrandus in arce Luparæ, Parisius, concluditur. Rex ovans Lutetiam ingreditur, magnitudine triumphi veteres superans triumphos. Undique læti exoriuntur clamores; Parisius, exsultant cives; læta dies cunctis affulget; nec desistunt discipuli Parisiensis Universitatis regem ad cœlum laudibus attollere. Nec non et Francia tota pari exsultat gaudio,

Ut simul una ferat victoria mille triumphos.

L. XII, 222.

Quænam autem satis firma mortalibus potest evenire fortuna; gaudium luctus excipere solet; nec gloria mortem arcere potest. Tempus jam funeris adest Philippo. Quod prænuntiat dirus cometa quem Deus per septenos dies affulgere igneo rubore jussit, ut sciat Philippus se *terque quaterque beatum*.

XII, 475.

Mox arida febris artus depascitur, et vita regis exstinguitur morbo. Qua nuntiata morte,

Exoritur clamor, resonant lamenta, fatiscunt
Guttura singultu; lacrymis sinus omnis inundat.

L. XII, 572.

(1) Philip. Lib. XII.

Luctus ubique, ubique dolor, et edomitas gentes regis exstincti ita mœror angit, ut nomini suo labem inustam oblivisci videantur; nec desunt miracula quibus illa mors late profertur. Filius autem regis accedit ad regnum cujus præclare facta alterum brevi expostulabunt vatem, qui satis digno carmine illa sciat extollere.

Quid de Philippidos virtutibus sentiendum et vitiis.

Quos adumbrare tentavimus duodecim librorum intra fines Guillelmi Britonis tota continetur Philippis, primordia Augusti-Philippi, et quasi adolescentem potentiam, mox audacioribus ausis adauctam et confirmatam, vitam omnem denique regis complexa. Quibus enim libris si tantum quædam addideris gravissimi sane momenti, multa autem ab auctore nostro oblivione pressa ne laudi regis officerent; nihil est quod amplius ab historiis repetas quæ simpliciori stylo descriptæ, nihil aliud potissimum præ se ferunt quam quod, ne quid falsi proferre, ne quid veri tacere audeant. Certæ licet temporum rationi Guillelmus inserviat, atque in universis diligentissimus reperiatur rerum actor, non ita tamen sese, more annalium, arbitratur ordini factorum addictum, ut nequeat quædam differre, ut poetæ solent, quædam in præsens tempus omittere, quæ alio in loco dilata melius eminebunt.

Neque illum vituperandum censuerim, qui, cum vellet in eodem libro, primo scilicet, omnia a Philippo bella suscepta pro Ecclesiis concludere, hic a clero Remensi primum negatas pecunias, dein eloquentia regis expressas inseruerit, quod quidem reipsa anno tantum millesimo ducentesimo et septimo evenit. Fatebor equidem, illum etiam in ea quam Henrici Clementis apud Pictavos expeditionem denarrat tempora confudisse; quippe qui anno millesimo ducentesimo quarto hanc adscribat quæ quatuor annis post tantum est confecta.

Quod si etiam de Lochiis et Chinone expugnatis Guillelmi narrationem cum Rigordi historia conferas, nostrum Britonem invenias, uno anno temporum rectam rationem præcessisse. Quæ quidem, ut arbitror, licet historico viro exprobrari possint, haudquaquam poetæ vitio sunt vertenda, quum hanc licentiam et in historiis concessam videamus, ut liberius evagetur oratio, Ciceroque Cæsarem laudet quasi bene pictas tabulas in bono lumine collocaverit, quod pro sua parte, proque sui ingenii facultate, potius quam inscientia temporum, incuriave effecisse Guillelmum affirmaverim. Hic enim neque ornamenta dictionis, neque eximiæ dispositionis bonum lumen respuit atque fastidit. Nam etsi sæpius illud prædicet, musæque suæ instillet :

Tinge tuæ calamum linguæ, quo verior exstet,
Cordis atramento; veraci vera referri
Facta volunt scripto, nec amant tam lucida fictos,
Ut magis eniteant, depingi gesta colore,

Historiæ verax veræ stylus est adhibendus,
Quæ mendicatis lucere nitoribus odit,
Cui satis est propriæ radio lucessere solis.

Phil. L. VI. 1.

Illud tamen non obliviscitur sese poeticum opus conficere, maximumque suscepisse opus, quum ad laudes accedat regis,

Qui nec Alexandro minor est virtute, nec illo
Urbi Romuleæ totum qui subdidit orbem.

In dedic.

Atque ne culpa ingenii viri sui gloriam deterat ad id intendit ut omni arte carmen illustret quod tam sublimi voce inceptum peragit :

Prælia magnanimi præclaraque gesta Philippi,
Omnipotente manu teneris quæ gessit ab annis,
Carmine veridico summatim dicere conor,
Pauca referre volens e pluribus ; et quis ad unguem
Omnia vel dictare queat, vel claudere metro ,
Vel mandare biblis, memori vel mente tenere ?
Non indigna foret istis vel musa Maronis
Theologi, cineres Trojæ qui vexit ad astra ;
Vel qui supposuit Trojam victoribus Argis ,
Erroresque vagi digne celebravit Ulyssis.
Non his sufficeret famæ Lucanus amator,
Vel qui tam sapido Thebaïda carmine scripsit,
Ut queat ad plenum digno memorare relatu
Tot victos hostes, tot bella, tot obsidiones,
Tot bene gesta domi, tot militiæ probitates.

Phil. Liv. I, v. 1.

His in versibus multa quidem deprehendas quæ statim ad memoriam reducant Horatianum illud

præceptum : « *Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim;* » multa, fatebor, quæ statim illud eliciant : « *Quid tanto feret hic promissor hiatu?* » multa autem, quæ, si non mentem diviniorem, osque magna sonaturum significant, saltem pro temporibus quibus ille vates vixerit, ingenium exquisitis et reconditis, atque minime vulgaribus studiis instructum, maximaque appetentem animum declarant. Neque Stacii, neque Lucani, nedum Virgilii, laudem in condendis versibus assecutus est, et longissimo ab illis distat intervallo; aliquatenus tamen illi prodire concessum est, neque inter vilissimos subsedit et jacet. Nemo est, in quocumque genere versetur, qui non multum proficiat, si tantum summa adipiscendi cupidinem conceperit intra animum, optimaque sibi æmulanda proposuerit. Quod quidem in primis Guillelmo Britoni evenit. Ille enim dum Virgilii, aut Ovidii vestigiis inhæret, grandius quoddam genus dicendi, gravius excogitata, sublimius dicta collegit, coloremque exemplarium assiduo contubernio contraxit. Quantum acumen ingenii, quantas exercitatione vires, quam grave genus orationis inde sit adeptus, haud difficile dijudicabit, si quis ad historiam ejusdem scriptoris, soluta oratione compositam referat mentem. Quid mirum? Mutatum genus stylum immutavit; idque evenire solebat in medio ævo: infantes et inepti cum vernaculo sermone uterentur, diserti sæpenumero, et aliquatenus facundia ornati inveniuntur, si ad latinam orationem confugerint.

Quis enim, ex illa ætate, vegetiorem historiam, quis præliorum vividiores protulit descriptiones? Quis melius virorum indolem atque naturam ingenii expressit, ita ut vere spirare videantur. Atque ita mentitur vates, ita veris poeta falsa quædam ad veritatem accedentia commiscet, ut commenta exiguo fine discernantur, aut nullus potius finis existat.

Hos inter viros quos repræsentat Philippis, ante omnes eminet Philippus Augustus, quo nullus alter grandior atque omni ornatior virtute. Illius facies ante legentium oculos obversatur, utque ferebat scriptoris sententia, non patitur se oblivione premi, tanto circumdatur lumine, tanta illustratur luce! Aliquid menti meæ succurrit, quod ausim proferre, quominus Britoni meo nimis favere videar, nimiumque ingenio suo tribuere; neque portentosum aliquid et inauditum eruere. His prædictis, quid sentiam aperire haud dubitaverim. Guillelmus in depingendo Philippo, melius quam Virgilius in exprimenda Æneæ persona profecisse mihi videtur. Segnior quidem sæpe sæpius existimari potest Æneas, remissiori animo, nec satis ad agendum prompto. Hunc sæpius vivida vis, ignea mens illa deficit qua abripi solent instincti divino spiritu homines, quos summa virtute atque fortitudine instructos creavit natura. Veneranda quidem majestate ornatus incedit; nescio quid sanctum divinumque spirat; quotiescumque autem increpuit belli fragor, quotiescumque ingruit periculum, illius videtur

flaccescere animus, atque major apparet Turnus ille qui robore juventutis fidens et armis, exsultat in prælio, debacchatur fervidus impetu turbido, atque etiam invitos legentes occupat. Quod in vitium haud incidit Guillelmus. Ille quidem non novum scenæ committebat personam; cujus præclare gesta narrabat comes, assectator et amicus fuerat; has cum illo bellorum procellas adierat; in iisdem erat versatus periculis, cumque in testudinis silentio, quæque visa aut audita habuerat scriberet, in meliore statu quam Virgilius meditationes excudebat; siquidem factis ipsis propior, nescio quid firmius illi suberat fundamentum et quasi solum. His enim in duodecim libris Philippidos, ad numerum Æneidos compositis, nihil laudi Philippi regis officit; nulla re obscurata illius sordescit facies; primas ubique tenet, et omnem omnium virtutum societatem et quasi amicitiam ostendit.

Quid enim? ineunte vix ætate nobilissima quasi senectutis maturæ facinora edit; hostes infensissimi qui fraudem adolescentulo parant et innectunt, hunc regem inveniunt :

. . . . Regem se marte probavit,
Corde senem, facto juvenem, vi mentis adultum.
Et quem censebant ævi sub lege teneri
Invenere nihil annis debere nec ævo. Lib. I, 525.

Jacta est alea; gladium de vagina eductum strinxit Philippus, quem Domino dicavit dum Ecclesias tuebatur; flebit quicumque regem aut verbo aut facto lacesset. Mente providus, consilio prudens,

manu fortis nihil de suo jure remittit, nec patitur aliquid perire desidia, et injustum tutorem ita juveniliter alloquitur :

Desine plura loqui, quia si mihi prædia fisci
Reddere distuleris ultra, quid justa petenti
Vis cum jure queat Domino conferre videbis.

Lib. II, 80.

Nec ætate lubrica corruptus, nec voluptatum illecebris irretitus, lascivam licentiam morum sequitur, umbratilesque delicias. Animosus contra in pulverem atque solem procedit, arma parat, in hostes invehitur et desævit :

Qualiter in Lybicis spumante Leuncula rictu
Saltibus, ungue ferox, et dentibus asper aduncis
Fortis et horrisonans, anno jam pœne secundo,
Cui venatoris venabula forte per armos
Descendere levi stringentia vulnere corpus.

Lib. II, 258.

Si forte diu quæsitus hostis collectis tandem viribus adstiterit, lætus hunc debellandi occasionem arripit, et pugnam jam sitit, vixque regis virtutem vincunt amici, vixque efficiunt quominus hora læva prælium ineat; quasi delusa virtus magis ac magis accenditur :

Talibus alloquiis vix iram flectere regis,
Vix retinere queunt, et vix in castra reducunt.
Talis Alexander castigabatur ab omni
Milite, cum medius muro se versat in hostes,
Unde fuit, paucis vix succurrentibus, hostis
Vi raptus multo perfusus membra cruore.

Lib. XXI, 423.

In prælia invicta virtute fertur ; medios irruit in hostes, qua densissimus glomeratur globus huc advolat, atque suis facinoribus nobilissimum quemque debellandum eligens, victoriam tandem suis partibus alligat :

> In dubio est nec scitur utra victoria parte
> Stare velit.
>
> Lib. v, 223.
>
> Donec rex inter tot millia vidit Alanum,
> Cassida qui medio reparans in limine lapsam,
> Stabat agro : quem cum novisset, ab agmine denso
> Exit et erecta plano se contulit hasta,
> Festinatque viro rapido se jungere cursu.
> Nec minus, ut regem conspexit Brito venire,
> Se parili voto colludere gaudet eidem.
> Lancea sed regis, clypeo quassata forato
> Frangitur et voto regis parere recusat.
> Nec regis clypeum Britonis forat hasta ; sed ultra
> Dissiliens abiit, mannique sub ilibus acta
> Inter utrumque femur, præacuta cuspide caudæ,
> Juncturam rumpens, ibi demum fracta quievit.
> Rex quadrupesque cadunt ; sed mira rex levitate
> Surgit, et aptat equo citius spe membra novata.
>
> Id.

Nec mora, composito vix bello, bellum alterum inchoat Philippus; illum undique circumveniunt hostes, longinquis in oris illum aggrediuntur ne auxilium et opem ferre possit; illa etiam spes decolat :

> . . . . Ac si
> Mittere non possit illuc vel adesse Phillippus.
>
> Lib. x, 20.

Maxima enim itinera, paucissimos intra dies conficit, atque inexspectatus ante hostes adstat, ita ut celeritatis nobilissima exempla longe superet :

Non tanto post Narbazanem Bessumque refertur
Magnus Alexander olim properasse volatu,
Festinant Dario dum Bactra subire perempto.
Talis Parisios memoratur adisse diei
Unius spatio Senonensi Cæsar ab urbe,
Quum obsessa fuit et capta Lutetia rursum.

Lib. v, 42.

Ne quis igitur tantis posthac laudibus Alexandrum, Cæsarem, Carolumve magnum extollat, nulli non superior exstitit Philippus. Quid plura memorem prælia in quibus summum discrimen vitæ sæpius adiit, dum totam effundit virtutem? Quonam autem alio loco melius, quam Bovinis, summa Philippi virtus eluxit? Hic alter Æneas altero cum Turno congreditur : Othonem quærit undique, dumque sævius in hostem invehitur sternitur humi. Mox equum ascendit ferturque in Saxones. Rege aspecto instauratur pugna :

Ast ubi Saxonum tandem rex attigit agmen
Francigenique suum viderant ut se prope regem,
Quem tanta levitate in equum ascendisse stupebant,
Theutonicis terror, Francis audacia crevit.
Ejus in adventu fervore calentis et ira,
Ergo reviviscit pugna ac si nulla fuisset
Hactenus, alternis sternuntur stragibus agri :
Sternuntur Domini quidam sine vulnere; multos
Et Dominos et equos lapsu mors tollit in ipso,
Ut moriens victo faciat solatia victor. Lib. xi, 404.

Quam autem bellicam virtutem ni clementia et moderatio animi temperaret, minori efferretur præconio. Ita vero non fuit a natura compositus rex noster, ut hanc tantum de leone fervido particulam desectam gereret stomacho, mitius quiddam præ se fert, hoc tantum contentus hostes debellasse, debellatis parcit :

> Quod quanto stantem ruit irrevocatus in hostem,
> Tanto mente pia strato revocatur ab hoste,
> Ut nunquam veniam supplicanti deneget hosti.
> Qualiter irato satis est prostrasse leoni
> Corpora; pugna suum finem capit, hoste jacente.
>
> Lib. I, 556.

Ea usus clementia Normannos (Liv. 8) ditionis suæ factos et arbitrii benigne habuit, illisque permisit ut suis regerentur legibus; nec, simul ut advenit, adeo nota regis mansuetudo pernoscebatur, suam desperavere salutem miseri quos durissima fames, in Castro rupis Gaillardicæ necabat. Qui enim his precibus regem allocuti :

> Esto propitius miseris, miserere, misertus,
> Rex pie, ni fueris, injusta morte perimus.
> Hic invisa fames nostros depascitur artus,
> Tempore jam multo : nos hic crudelior hoste
> Exposuit noster pesti concivis amaræ.
>
> Lib. VII, 580.

incolumes et cibis refecti evasere.

Quis nescit illud Augusti clementiæ exemplum posteris a Seneca traditum, quodque clarius noster Cornelius illustravit? Omnes illud mirantur, neque

medii ævi scriptoribus ignotum fuit. Nequa igitur laus Philippo deesset, utque æquales, nec non et posteri Augustum et Galliæ regem eodem ornatum nomine juxta intuerentur, idem vates noster Clementiæ retulit facinus cui ita præcinit :

O pietas! O mira fides in rege! quis unquam
Rex Hebræorum, quis princeps, quis populi dux,
Tanta pace animi, tanta pietate refulsit,
Ut non puniret capitalem protinus hostem,
Majestate reum læsa, dominique peremptor
Qui fieri voluit.

Comitem enim Boloniæ, proditorem regis et patriæ, in prælio captum verbis solatus fuerat amicis

. . . . . . Pro pœnis præmia, pacem
Pro bello, vitam indigna pro morte rependens.

Ille autem pravissimi ingenii, vix tribus elapsis diebus, furtivis Othonem litteris ad arma suscitabat. Quibus compertis, rex eadem fere usus oratione ac Augustus (1) qua proditionem exprobrat Cinnæ, vitam comiti concedit :

. . . . . . Factus mihi denuo amicus,
Uxorem tibi, jam cum gratia nostra dedisset
Boloniæ toto comitissam cum comitatu;

(1) De Clementia. Senec. Lib. I, c. IX. Ego te Cinna quum in hostium castris invenissem, non factum tantum mihi inimicum, sed natum, servavi, patrimonium omne tibi concessi..... Quum sic de te meruerim, occidere me constituisti... Vitam tibi iterum do, prius hosti, nunc insidiatori, ac parricidæ.

. . . .
Sic mihi te donis, sic te per cara ligabam
Pignora, te contra ne me scrupulosa moveret
Suspicio. . . . .
His tamen ingratus cuncta hæc a mente relegans,
Proque bonis mala retribuens, me sponte relicto,
. . . .
..... Quamvis indignus amodo vivere, vitam
Non tamen amittes, jugique in carcere vives.

Lib. XII, 67.

His ita faciem Philippi Augusti excultam ostentat Guillelmus Brito; atque ne vitii quadam labe deformetur, alto silentio plurima premit, non more palponum, ut quidam voluerunt. Cum enim laudes tantum Philippi celebrandas sumpserit, alii viderint quibus pravitatibus mens illius fuerit distorta, qua parte malis artibus infecta. Ille quidem nec sordes avaritiæ, nec deterrimam ambitionem regis in medio proferre voluit, quæ forsitan nimio cæcus amore, et tanto fulgore quo perstringebantur oculi, nunquam examinavit, neque ad amussim disquisivit. Multa igitur nube occulit grandia cum summo pontifice certamina de uxore repulsa, quorum ipse pars maxima fuerat; observantissimumque æqui, fœderis rupti et male admissorum vindicem, Ecclesiarum et quasi Dei ipsius patronum ostendit :

Neve putes regem pro se hoc egisse, sed omnem
Impendisse operam Domino Dominique ministris.

His verbis et gesta Philippi, et consilia in melius interpretatur, atque elevat si quædam occurrant minus laudanda.

Quod si cui nunc videtur Philippus sævius cum Judæis schismaticisque egisse, quos jussit ignibus aduri, cum illorum opes et divitias suum in ærarium conferret, haud ita visum Guillelmo Britoni. Ille enim, quamvis videatur multæ doctrinæ, bene cordatus, nec in cæteris rebus adeo immitis, tamen cum æqualium opiniones sectaretur, nihil Deo acceptius existimabat posse fieri quam si Judæos, schismatiscosque ad unum, sævissimis suppliciis exstingueret Philippus; idque laudibus amplissimis, æque ac præclarissime gesta, laudibus prosequitur. Nulla enim, ut tunc solebat, misericordia commovetur, imo summa perfunditur lætitia quasi :

> . . . Revocaretur paulatim pessimus ille
> Quo nimium pravo fœdatur Gallia ritu,
> Pro nihilo causaque levi, quasi dilacerando
> Membra beata Jesu, vel turpiter improperando
> Illi pro nostra probra qui tulit ipse salute.
>
> Lib. I, 401.

Ne satis video qui Philippus vituperetur ob ea quæ Deus ipse insignibus ostenderet miraculis sibi acceptissima; neque demiror vatem nostrum pro ætate sua hæc lubentius laudavisse, quum hodierno die etiam, aliquot inveniantur homines, qui pace bona eorum dixerim, sanguine humano a litando Deo iræ non abhorrerent.

Quæ quum ita sint, atque vitia pumice, ut ita dicam, eradantur, nihil superest quod in Philippo reprehendi possit; nihilque obstat quin tanquam

cordati pii, et fortissimi regis exemplar et speculum ostentetur.

Si quis verus et intelligens rerum existimator Philippum Augustum cum Richardo, quem Leonino corde vocabant æquales sui, conferre velit, illud certe inveniet, fortitudine, atque ea animi virtute quæ utile posthabere honesto solet, superiorem exstitisse Angliæ regem, multis, alia ex parte, vitiis atque mendis repletum: iracundum, inexorabilem, sævum, jura sibi nata negantem, nihilque non armis arrogantem. Quæ cum vidisset Guillelmus, metueretque ne Richardi laude laus imminueretur Philippi citra minimum veritatis damnum, bellicam virtutem Richardi paulum elevat, ut Philippi consilium prudens, mentem providam futuri, subdolam, qualem Ulyssis naturam cognovimus, extollat. Has igitur contentiones quas in Sicilia ortas inter amicissimos reges vidimus, leviori attingit stylo, nec multum immoratur his facinoribus Hierosolymitani belli, atque illa ita describit, quod quidem verum ex omni parte, ut præsente Philippo, omnia prospere succedant; illo autem profecto, cuncta amittantur, neque id committit ut aperiat quid sibi vellet Philippus, cum, relictis militibus suis, in regnum properaret suum, ut opportunitate temporum uteretur. His semel animadversis non possumus quin admiremur quanta cum arte, quanta cum vi dicendi, illa Richardi inclyta facies exprimatur. Cæteros inter, qui in Philippide secundas post Philippum agunt, omnium præstantis-

simus elucet, atque omnes qui posthac in eo depingendo elaboraverunt, nihil melius, arbitror equidem, efficere potuerunt. Ubique apparet fervido impetu concitatus, nihil magis quam dedecus et fugam reformidans. Simul atque in scenam inducitur acerrima vis ingenii effervescit, orationesque profert quibus generosa mens arguitur.

Angli enim cum fugerent, *solita feritate* Francorum cæsi, resistit Henricus, et vultum pudore suffusus, milites suos alloquitur, ut adversus hostem firment tandem vestigia. Quæ verba libens accipit Richardus atque probat; quæ sit virium copiam enumerat atque recenset, qui sint in exercitu Anglico viros nominatim indicat :

> Sunt etiam nobis equitum tria millia quorum
> Unus ego, sed dextra magis gladiusque probabunt.
>
> . . . .
>
> Quid Paganellos referam, geminosve Leones?
>
> . . . .
>
> Tales nos gerimus, tales in bella venimus,
> Tales, care pater, tua castra sequuntur.
>
> . . . .
>
> . . . Quæ nos segnes mora detinet? aut quæ
> Segnities nostros ignava *bituminat* actus?
> Cur alis quasi viscatis hærere videmur?
> Imus an ignavis victi sine vulnere dextras
> Tendimus, ad libitum nobis dominentur ut ipsi
> Qui nobis odio semper nostrisque fuerunt.
>
> Liv. III, 175.

Haud minoribus agitur furiis, haud segnius arma movet, quum medios in hostes irruens, agmina perrumpit, fortissimum quemque lacessit, atque nudato

ense acrius insurgit, Guillelmum Barrensem ita premens ut jam victoriam sibi spe præsumat atque præ gaudio illa effutiat :

. . . . Barras (gaudete, Quirites)
Fregimus, in manibus sunt Barræ denique nostris,
Nulla potest nobis jam barrula tollere Barras.

Hunc dicas, tanto fertur impetu, quasi in Iliade, tot virorum seminario, natum; haud male furias Ajacis refert, ne desunt quidem verba insolentia quibus vel deos lacessebat heros fortissimus. Cum in carcere detineretur, atque in manus infensissimorum hostium devenisset, haudquaquam, majestatis regiæ oblitus, invictum demittit animum, nec ad preces indignas descendit. Quanto irarum æstu rapitur, qua audacia, quo motu indignationis concitatur, cum falsis criminibus petitus, nec diutius convicia ferens, ita nobis depingitur :

Non tulit ulterius, ac si resideret avito
Innixus solio, vel in aula Linconiensi
Aut medio Cadomi, quasi cultus immemor in quo
Captus habebatur, regaliter ore diserto,
Corde leonino, vocem prorupit in istam :
Prodeat in medium qui me de proditione
Arguat, armatus veniat, subeatque duellum
Me contra, si me super hoc convincere possit.
Non tamen usque adeo virtus mihi deficit, ut me
Fidentem de jure meo solitoque vigore.....

Lib. IV, 394.

Quid nunc memorem Guillelmum Barrensem, florem equitum, decus Galliæ, invicti animi, omni

bonitate refertum, quem natura miratur absolutum suum opus, suoque

Applaudens operi speculum sibi fecit in illo.

L. III, 431.

qui forti Cloantho fortior, fido Achate fidior, Philippum assiduus comes assectatur, omnique in pugna supra cæteros extollitur? Quid Engorrandum, *Brise-Moutier,* quem ita depingit vates :

Engorrandus erat vir corpore maximus, ampla
Fronte patens, oculis saliente rubentibus igne,
Crine nigro, facie larvata, cervice reducta,
Inflatus bucca, rictu deformis, aduncus
Naso, membra rigens membris æquanda gigantum,
Cordis inhumani, tanta feritate tumescens,
Tanta *brutescens* animi ruditate, quod inter
Humanam pecudumve necem nihil esse putaret!
Qui quoniam assiduis violentus prædo rapinis,
Fregerat ecclesias, *Fractura* monasteriorum
Addiderat nomen proprio famosius illi.

Quam multa his in verbis barbariem redoleant, quas sordes illa contraxerit oratio, haud inficias ibo, neque istius infimæ latinitatis defendendæ patrocinium suscipiam. Hæc sunt portenta et monstra verborum; illud tamen fatendum est, hæc haud male temporum conditioni convenire, atque apprime effingere, nescio quo proprio colore, genus istud hominum, qui cum semper versaretur in armis, nihil humanum jam retinuerat. Incondito sermone melius, quam munditiis exquisitæ orationis isti medii ævi milites depingi mihi videntur, ut

verba cum re ipsa vinculo arctissimo cognationis conjungi videantur.

Quemadmodum Homerus deridendum, omnique odio prosequendum Thersiten tradidit, omnesque medii ævi fabulæ proditorem quemdam Ganelonem pravitate morum et nequitia deformem exhibent; ita Guillelmus Brito odia exaggerat in Johannem regem Angliæ, quem avaritiæ, malæ fidei, sævæ libidinum cohorti addictum effingit, ut invidiam adaugeat. Ille enim minimi vel Dei potentiam, sacrosanctamve religionem pensi habet. Juratus, fidem abrumpit, omnis rei simulator atque dissimulator, nihil nisi dolo agens, pavidus, iners, nulla virtute firmatus, hostes non nisi noctu, furum more, aggrediens, Arthuro infensissimus adolescentulo, quem ab illo peremptum fama tradit. Quem rumorem ambiguum, cum Guillelmi consilio conveniret, non illud commisit ut respueret, atque his verbis fictam denarrat cædem :

Rex ergo in portu solito quem more replerat
Fluctus, stans celsa in puppi de turre nepotem
Perpuerum jubet educi, secumque Phasello
Collocat, et paulum digressus ab inde recessit.
At puer egregius, positus jam in limine vitæ,
Nomina ne desint sceleri tam flagitioso :
« Patrue, clamabat, parvi miserere nepotis;
Patrue, parce tuo, bone patrue, parce nepoti;
Parce tuo generi, fraternæ parcite proli. »
Hæc ejulantis prendens a fronte capillos,
Alvum per medium capulo tenus impulit ensem,
Impius et rursum generosa cæde madentem
Cervici impressit, tempusque bipertit utrumque.

L. VI, 550.

Unde vates tragœdias istas commovet :

Ecce Judas alter; Herodes ecce secundus,
Qui pueros inter Messiam perdere quærens,
Ne regnum perdat, proprios occidere natos
Postea non veritus, et regnum perdidit et se.

Lib VI. Sq.

Quum veteres qui historiis conscribendis operam imposuerunt, ex orationibus ornamenta petere solerent, quibus grave genus illud distingueretur, quis miretur Guillelmum nostrum, in eo intentum ut aucuparetur insignia quibus adornaret opus suum, plurimas orationes inseruisse poemati suo? Quas quidem omnes, una aut altera tantum excepta, quam strigosam, horridam et quasi verbis minime ad eloquentiam et carmina pertinentibus hirsutam fateor, laudatas velim; quippe quæ concitato motu ferantur, puro satis et profluenti sermone ornatæ, uniuscujusque in primis personæ ingenio maxime accommodatæ videantur. Seu pudor, seu reverentia atque verecundia, seu metus illas expresserit; sive has ex tempore, nec meditatas, prout res exposcit orator protulerit, sive omni labore accurratas afferre in concilium videatur, semper ad affectum dicentis commoventur atque cursu argumentorum, et quodam tenore, colore et gravitate sententiarum, sinon nitore orationis, has commendatas dixerim.

Verba jam Richardi supra retulimus quibus exardescentem animum, atque omni irarum æstu fluctuantem ostendit; nunc mutatis affectibus, mutatur

oratio, utque benevolum sibi faciat Philippum ita exorditur :

> . . . . . . Bone rex cui Francia paret,
> Cujus ego miles, cui sum juratus in arma,
> Cui tanquam Domino fateor me jure teneri,
> Quem tremit Ægyptus regioque Palœstica, cujus
> Præstolatur opem Domini crux atque sepulcrum,
> Audito cujus Saladinus nomine pallet,
> Jam sua, jam victi tendunt tibi bracchia Parthi,
> Inclinatque tuis Acharon sua mænia signis.
>
> Lib. IV, 120.

Quo principio, ni fallor, magnum quiddam spirat, grave et antiquum, nec desunt apud Virgilium Lucanumque exempla quæ secutus videtur Guillelmus. Nonne aliquid ex Quinto-Curtio depromptum scriptori succurrit quum Malevicinum inducit regi suam temeritatem versibus exprobrantem satis profluentibus et excultis :

> Quo ruis, o periture? Quibus jam possumus armis
> Auxilium præstare tibi? Cum velle videris
> Sponte tuos et te cæcis involvere fatis?
> Qualiter hic tam pauca manus tot millibus ausit
> Pugnare, ut vitam saltem una protegat hora?
> Non tot Alexander Græcos in prælia duxit,
> Non tot Athon ratibus Xerces transnasse putatur
> (Epotasse licet dicatur flumina prandens),
> Quot nos exspectant. Numquid non cernis ut omne
> Præpediatur iter? Nec quo transire queamus
> Vallibus aut agris aditus patet. Ocius ergo,
> Dum licet et nondum nos undique circuit hostis,
> Frena retorquentes, loca nos in tuta feramus;
> Vel potius tu solus abi, nec te pudor ullus
> Detineat, dum nos pugnando resistimus hosti,

Funeris ut nostri facilis jactura, sed in te
Totius posita est et spes et gloria regni :
Te solo, nihil est timeat quod Francia sano.

Lib. v, 379.

Nonne optime convenientibus et aptis exsultat verbis expressa Pictavorum virtus? Moræ impatientes Arthurum cunctantem ad pugnam concitant, in querelas primum, mox in istas erumpunt minas :

. . . . . . Paveant virtutis egeni,
Ignavi metuant; virtus Pictonica regem
Non timet ignavum. Veniat si viribus audet
Fidere forte suis, nova si se infudit eidem
Venula virtutis, ignavia si probitatem
Inveterata sinit illius visere montem.

Lib. vi, 360.

Vix unus liber abit quin concione quadam illustretur; haud scio tamen an gravior ulla existat, quam quæ octavo in libro inseritur, Montisfortis ad commilitones concio. Haud scio an altera, tota in Philippide, inveniri possit qua melius monstretur quid antiqui, quid Lucanus Virgiliusque evaluerint ad Guillelmi Britonis informandum ingenium, hos enim acri urget imitatione :

Magnanimi proceres, Trojana stirpe creati,
Francorum genus egregium, Carolique potentis
Rollandique cohæredes et fortis Ogeri,
Qui patriæ tam dulce solum, tot castra, tot agros,
Qui villas tot deliciis opibusque fluentes,
Qui tot amicorum, tot pignora conjugiorum
Cara relinquistis, pro Christi lege tuenda.

Lib. viii, 632.

Ille, ut videtur, orator qui tali principio utitur, didicit quid locus, quid genus audientium, quid res ipsa expostulet, atque ad istum sensum commovetur. Si autem paulum flaccessit spiritus, dum damna vere religioni illata ab hæreticis enumerat, dum Simonis et Jonathæ, ac Judæ Mathatianidarum virtutem laudibus extollit, nihil mirum; ibi enim nec Virgilius, nec Lucanus subsunt, ut ita dicam, nec auxilium ferunt; mox autem erigitur oratio atque more veterum exsultat liberius :

Te quoque, te moneo, Rocii dominator Alane,
Qui tot sub nostro fecisti rege triumphos,
Qui te cum reliquis hæc in certamina misit.
Vosque alii proceres, communiter esse velitis
Et patrum et patriæ memores genus unde tulistis,
Ne patres sibi dissimiles, ne dulcis alumnos
Patria degeneres doleat genuisse; quod absit!
Præcipue regis summi studeatis honori,
Cujus mane novo pugnabitis hostibus.....

Ibid.

Quid Othonis, libro decimo, imminente pugna, verba referam quæ non tantum antiquitatem redolent, illam autem meram referunt, dividit jam præsumptæ victoriæ spolia, atque ut Æneas, lib. quinto Æneidos (305), ait :

Et reliqui proceres, habeant quod quilibet optat :
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

Lib. x, 590.

Dumque monachos verbis impugnat et insequitur,

a Virgilio Horatioque mutuatur ea quibus illos incessit :

Nonne licet nobis hac clerum lege ligare,
Rebus ut oblatis contenti primitiisque,
Jam discant humiles magis esse, minusque superbi.
Quam satius, quam commodius, me jura novante
Impiger hæc tam culta novalia miles habebit
Et villas tot deliciis opibusque fluentes,
Quam genus hoc pigrum, *fruges consumere natum,*
Otia quod ducit, tecto quod marcet et umbra;
Qui frustra vivunt, quorum labor omnis in hoc est,
Ut Baccho Venerique vacent, quibus inflat obesis
Crapula colla toris, oneratque abdomine ventres!

Lib. x, 621.

Tam impia cum jactaret verba superbus Otho, rex contra Philippus, ore pio tali sermone suos bonam spem concipere jubebat :

Hostibus ille (Deus) suis nostro mucrone secabit
Membra, sibi faciet nos instrumenta secandi;
Ille idem percussor erit belli, nos vero ministri.
Nec dubito quin se victoria conferat illi,
Quin hostes proprios, quibus est infensus et ipse
In nobis vincat, et nos vincamus in ipso.

Quam autem orationem Philippo cum Guillelmus affingat, ex illa percipi potest quid personnis quas vates concionantes inducit, de suis frugibus, ut ita dicam, commodare soleat. In historia sua, verba retulit Philippi quæ magis ad veritatem accedunt. Quæ tamen cum parum exculta viderentur, hæc in poemate suo calamistris inussit, his tinnitus quosdam poeticos addidit, quo melius nitesceret locus,

lætiorque efficeretur. Hæc sunt verba quæ tradidit ab ore Philippi ipsius accepta, quippe qui staret, ut ait, retro regem non procul ab ipso, Capellanus qui scripsit hæc : « In Deo tota spes et fiducia nostra est posita : rex Otho et exercitus a Domino papa excommunicati sunt, qui sunt inimici et destructores rerum sanctæ Ecclesiæ; et pecunia qua eis stipendia ministrantur de lacrymis pauperum et de rapina ecclesiarum Dei et clericorum acquisita est. Nos autem Christiani sumus, et communione et pace sanctæ Ecclesiæ fruimur; et quamvis peccatores simus, tamen Ecclesiæ Deí consentimus, et cleri, pro posse nostro, defendimus libertates, unde præsumere debemus de Dei misericordia, qui nobis licet peccatoribus, dabit de suis et de nostris triumphare (1). »

Quæ quidem forsan et temporum et hominum conditioni melius convenientia atque regis ingenio, vates immutavit, ut poetico decorarentur cultu, meliusque ad antiquos accederent.

Nusquam autem illud æmulandi veteres studium melius deprehenditur quam in præliis describendis. Ut omittam enim quæ pertinent ad usum armorum illius ætatis, ad rationem administrandi belli, obsidionum, omnisque tormentorum generis, quod cæteri viderint, atque inde eruant quidquid prodesse potest ut plane intelligatur quæ esset tum vitæ et belli conditio (2), ea tantum seligam quæ

(1) De Gesta Philippi, p. 95.

(2) Quibus rebus abundant præsertim sextus liber atque septimus.

Guillelmi Britonis ingenium et doctrinam illustrant. Ille enim non tantum ut historicus pugnas enarrat. Œstro bellorum stimulari videtur, ipse medias per acies irruit, atque ita turbata agmina, morientes viros, armorum strepitus et fugam et clamores ostendit, ut aures, pæne dixerim, clamoribus, oculi armorum fulgore perstringantur.

Nec mora, nec requies, mors ubique furit; et hinc et illinc, dum cæteri ignobiles conserunt manus, et viles effundunt animas, insigni virtute, genere et loco milites privata ineunt prælia. Quid fortius et melius describi possit?

Jamque propinquabant ponti strictumque tenentes
In manibus ferrum, postes succidere pontis
Audebant, et quæ substabant postibus alnos :
Sed tolerare diu nequiere *pluentia* tela
Grandinis in morem, lapides, truncosque trabales,
Ferventesque picis ollas, et pondera ferri
Quæ descendebant in eos de turribus altis, etc.

L. VII, 288.

Sæpius etiam quo lætius aliquid poemati suo affundat, Virgiliumque propiori insequatur gradu, historiam adulterat, atque compositam ad arbitrium effingit pugnam. Ita Simonem Montisfortis cum rege Arragonensi committit, quum prior, quo loco, quo tempore fuisset exstinctus rex Arragonensium, finito prælio, nesciret. Quid autem ad nos? in hac potissimum describenda pugna Virgilianus videtur :

Rex furit Arragonum, sic cædi sua coram
Pignora cara videns, nec eis succurrere posse

Piget eum, tentatque suas in Simone vires,
Indignans aliis concurrere; quippe minores
Quoslibet indignos regali judicat ictu.
Cautior occurrit, pugnæque peritior illi
Simon, et lateris flexu cavet illius hastam
. . . .
At rex exerto comitem ferit ense; sed ipsum
Fortior insurgens, rapto de vertice cono,
Fortiter a *sella* comes elevat, inque vigentis
Circumflectit equi collo, manibusque duabus
Graviter amplexum regem portare volebat,
Et vivum servare, neci quia tradere tantum
Fas non esse virum comiti putat : ut pius hosti,
Ut bonus esse malo, populo laudetur ab omni.
Nititur ille viro elabi multoque labore
Vix duro amplexu sublabitur, inque virenti
Gramine stare volens, prostratus corpore toto
Concidit, et fulva jacuit resupinus arena.

Lib. VIII, 725.

Quis nescit talem locum apud Virgilium occurrere libro undecimo (v. 743) a quo noster illa mutuatur?

Totas autem exprompsisse vires mihi videtur in illa Bovinis depugnata pugna, omnes tetendisse nervos, omnia ventis immisisse vela. Quam enim victoriam cum velut totius operis apicem et fastigium existimaret, nulli rei parcit ut facinus illud Philippi amplificet, atque videtur effecisse ut in hoc falsa sit posterorum opinio. Non desunt, et maximi quidem ponderis auctores, qui hanc pugnam minime pugnacem, ut ita dicam, fuisse arbitrentur; ad eam autem depingendam, ita vates accingitur ut dicas rem cum gigantibus fuisse. Maximæ enim

quasi molis opus aggrederetur numine divino se afflari expostulat itaque precatur nono pereunte libro :

Nunc utinam, nunc, Phæbe, velis Heliconidas omnes
Inspirare mihi, spirans spiramine sacro
Quidquid Cirrhæis sacri spiratur ab antris,
Quidquid Castaliis potus hauritur ab undis!
O nunc Lucani ruat in me sive Maronis
Spiritus, aut saltem Thebani vatis imago!
. . . .
Sed tantum ut merear vestigia lambere sola,
Unius similis in carmine factus eorum,
Ne sensus brevitate mei, præclara Philippi
Fama relentescat, præconii effecta minoris, etc...

Lib. IX, 727.

Sævior enim præteritis imminet Galliæ procella; undique acerrimi convenerunt hostes, quos enumerat poeta ad imitationem Virgilii cæterorumque, et describit. Ingentes copias attrahunt reges, quas vix capere possit Gallia; fortissimi duces fortissimos milites ad bella cient. Novum etiam portentum additur quo nullum præsentius conturbare mentes poterat. Comitissa quædam, sortilegos ignota consulit arte, atque prave intellecto gaudens ænigmate audacius fertur in arma Ferrandus

Ne solus duplici fallatur Apolline Cræsus (1).

Omnia jam parantur atque signa reges explicant.

(1) Juvenalis sat.
Et semel ambiguo deceptus Apolline Cræsus.

Otho standardum ædificat atque honore miro insignit

Imperii ut fasces tanto illustrante paratu,
Se dominatorem totius disputet orbis.
Erigit in carro palum, paloque draconem
Implicat, ut possit procul hinc atque inde videri
Hauriat et ventos cauda tumefactus et alis
Dentibus horrescens rictusque patentis hiatu
Quem super aurata volucer Jovis imminet ala.

Lib. xi, 20.

Philippo autem

. . . . Satis est tenues crispare per auras
Vexillum simplex, cendato simplice textum
Splendoris rubei.

L. xi, 32.

Signa canunt; mox confunduntur acies, desæviuntque milites quos gloria incendit atque ille clamor : *Nunc quisque suæ memor esto puellæ,* frementes animis undique ruunt Franci, Burgundorumque globos perfringunt; toto in campo sævissima miscetur pugna, ingruit telorum imber ferreus, multosque perimit. Magis ac magis horror increbrescit, densantur funera omniaque mortis imaginem legentibus prætentant.

Cruribus inversis jacet, hic resupinus arena,
Hic latere obliquo ruit, alter vertice prono
Labitur, atque oculis exhaurit et ore saburram,
Hic eques, ille pedes, vinclis se mancipat ultro,
Dum perimi magis odit ibi quam vivere victus.
Quadrupedes autem passim per rura videres
Exsufflare animas; alii disrupta per alvum
Exta vomunt; alii procumbunt poplite flexo.

L. xi, 188.

Ne autem hanc diutius universam dimicationem persequatur, ad singulos devenire festinat, solitoque more poetarum :

Et quis erit dignus digne memorare vigorem
Gaucheri comitis, quo summis viribus ille,
Quique illum sequitur armati militis agmen
Per medias acies, per confertissima Flandræ
Millia militiæ, trifidi transivit ad instar
Fulminis, imbellesque velut dispergit anates
Accipiter, quando atra fames jecur ulcerat ejus.

L. XI, sq.

Cumque socium quemdam mediis in hostibus vidisset hærere :

Mox caput inflectens, collumque amplexus Iberi
Per medias acies iterum prorumpit, at illum
Dum ruit hostilis non cessat dextra ferire.
Non tamen ille caput aut dextram subrigit ante
Quam venit ad socium; tunc se *levat* enseque stricto
Omnes qui socium retinebant sternit et illum
Liberat et secum vivum sanumque reducit.

Altera in parte furit Boloniæ comes quem ita repræsentat Guillelmus :

At lævo in cornu, qui nulli marte secundus
Bolonides, pugnæ insistit : cui fraxinus ingens
Nunc implet dextram, vix ulli bajula qualem
In Bacchi legimus portasse Capanea cunas
Quam vix fulmineo dejecit Jupiter ictu.

L. X, sq.

Quod desumptum a Statii decimo libro (v. 943) Thebaïdos haud difficile deprehendas...

. . . . . Paulum si tardius artus
Cessassent potuit fulmen meruisse secundum.

Dijudicari quoque potest quantum omnem teneat antiquitatem vates ille qui plurimis in locis, ut inferius monstrabimus, tam prompta manu ab illa aufert spolia.

Ad Philippum autem nunc convertamus oculos, ille etiam primas debet obtinere, nec virtute nulli cedit. Quemadmodum Æneas, in libro duodecimo Æneidos (v. 465) dantes terga Rutulos non dignatur morti sternere,

Nec pede congressos æquo, nec tela ferentes
Insequitur : solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.

Ita Philippus ad Othonem properat medios per hostes, ad terramque dejectus, saltu præceps insilit equo et sævior factus funera accumulat. Interea Otho, cujus vires exaggerare haud inepti atque inficeti scriptoris erat, siquidem cedit Philippo, securim vibrat in Francos :

Qualiter ille Brias Phlegræis horridus armis,
Centenis manibus fidens et corpore grandi,
Terrigenis animos audax audacibus addens,
Ausus cœlicolis bellare Jovique superno;
Ut vero justas superum regnator in iras
Exarsit, dextram jaculis cœlestibus armans,
Fulmina pro manuum numero jaculatus in ipsum
Nec vita vult prorsus eum privare ; sed igne
Cœlesti ambustum supponit rupibus Ætnæ,
Ignes perpetuos, vomiturum fauce supina :
Non secus in Francos Otho desævit, eorum

Per medium frustra sperans *impunis* abire
Inque ipsum regem simili sævire flagello.

L. xi, 357.

Hunc bellatorem reformidandum invicta virtute insequitur Philippus, atque Saxonum agmina disturbat quibus Otho stipatur, nihil aliud cupiens nisi possit

Alter ut Æneas Turno pugnare secundo.

Adventu regis instauratur pugna; redintegratur Francorum virtus, hostesque cæduntur donec

Angligenæ attoniti, quos crapula donaque Bacchi
Dulcius alliciunt quam duri munia Martis,
Et campum nudant, fugiuntque per avia sparsim
Quo fuga præcipites, quo mixto horrore timori
Casus agit.

L. xi, 559.

His perlectis, nemo erit, arbitror equidem, qui neget hunc vatem atram temporis sui luem vitasse, ut nitor poeticus versibus eluceat interdum. His in locis, plurima licet merito corripi possint, divitem ingenii venam ostendit; ita varios præliorum casus atque diversas vices fortunæ describit ut aliquid poetici ingenii Guillelmo Britoni inesse fatearis. Veterum quos spoliatur et quorum medullam atque boni sanguinis succum in suum corpus traduxit haud spernendus discipulus, nec sordidus Virgilii, pro ætate, imitator prædicari potest.

Quæ cum ornamenta velut ex intimis rei visceribus exorirentur, atque soli essent propriæ fruges,

alia e longinquo petita operi suo inserere Guillelmus voluit, quo majus adderetur decus. His, tanquam mendaciis ad rem pertinentibus, argumentum augere studuit ne quis exilitatem et inopiam in inveniendo illi objiceret. Neque tamen in eo hunc ita felicem fuisse affirmaverim, ut omne tulerit punctum, et dulce cum vellet utili miscere, nullum offenderit scopulum. Dum enim, studio divina humanis miscendi, et solitos poetarum ornatus carmini suo addendi, Atropon, Clothon, Lachesimque, sorores alloquentem inducit, ne diutius velint vitam extendere Richardo, (v. v, 537) quædam secum repugnantia velut serpentes avibus geminat. Quis non derideat novum illud Parcarum genus, quæ *proprio sanguine Nati a Deo sacratæ,* invigilant ne sacræ diei quies violetur; hancque sui naturam ita minime vulgari disputatione Atropos perpendit, ut multis annis in vico fragoso straminum studuisse doctissimosque philosophos assectata videatur :

> Quæ te, Clotho, movent ad nostram murmura vocem?
> Cum sis nil aliud nisi vis qua summus ad esse
> Tempore quoque suo pater evocat, ut libet illi :
> Unde tenere colum tantum potes, et nihil ultra;
> Tu quid es, Lachesi, nisi sors qua conditor idem
> Jam producta regit, vegetat ducitque per esse?
> At mihi quæ dominor cunctis, conversio nulla est,
> Nil obstare potest; mea vis propellit ab esse
> Quidquid ab esse venit per vos, curritve per esse.
>
> L. v, 452.

Quas ementiebatur Græcia, illa vatum genitrix, parcæ tantam haud assecutæ fuerant doctrinam

neque in tam spinoso et horrido genere dicendi versabantur; quas laudemus! Ne *Dæmone* quidem Guillelmus melius uti posset, cujus naturam haud alia ratione disputat. Illum in nos nihil juris habere asseverat, cum intra nosmetipsos unde dolis illius resistere possumus habeamus, quod nobis virtus præstat divina (IV, 128). Minime jam ad illas confugiendum est machinas, jamque *Henriados* numina apparent pallentia. Quam ob rem Guillelmus vituperatione dignus mihi videtur quod passim Virginem Mariam, Junonem, Furias, Victoriam atque Bellona in eodem incluserit carmine. Quid mirum? Qui *variare cupit rem prodigialiter unam*, hoc vitium necesse est contrahat; neque illud recentiores effugere. Quod si enim Dantis opus cum Philippide conferas, meliori, atque prudentiori, hac in re, forsitan Britonem nostrum prædices:

Alterius generis quædam insignia ex historia petivit. Longis igitur, ineunte Philippide, enarrat ambagibus omnem regum Galliæ ordinem a Francione sato Hectore ad Philippum Augustum, itemque Normannos e patria Norvegia longis advectos carinis in Neustriam refert

> Tempore quo simplex in sceptris Carlus agebat.
>
> L. VIII, 181.

Majus autem quidquam amplectens, quod posteris disputandum Virgilius, in libro secundo Georgicorum (v. 475), reliquisse videbatur, duobus in locis (VI, 506, VIII, 43),

. . . . . Qua vi maria alta tumescant
Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant,

causam attingit, felix (ait ut Virgilius)

. . Qui rerum has potuit cognoscere causas,
Quas Deus ignotas voluit mortalibus esse!

Irritumque tandem professus laborem ab incepto desistit, neque inde multum detrimenti legentibus importatur, siquidem in ea disquirenda causa, nihil nisi nugas, nullo conditas lepore effutit Guillelmus.

Nulla autem melius in Philippide prælucent ornamenta quam quæ vates e situ regionum, civitatumve, aut anni tempore describendo accivit. Hic omnes orationis suæ delicias, omne munditiarum genus, aut veneres comportasse videtur atque accumulasse, ut lætiora interdum elucerent. Quid melius quam illius ulmi Vulcassinæ, apud nos notissimæ, descriptione? Hic nescio quid amplum et molle deprehenditur, nihil est fere quod desideres amplius :

Haud procul a muris Gisorti, quo via plures
Se secat in partes, prægrandi robore quædam
Ulmus erat visu gratissima, gratior usu
Ramis ad terram redeuntibus, arte juvante
Naturam, foliis uberrima ; roboris imi
Tanta mole tumens, quod vix bis *quatuor* illud
Protensis digitis circumdent bracchia totum ;
Sola nemus faciens, tot obumbrans jugera terræ,
Millibus ut multis solatia mille ministret :
Quæ gremio viridi vestito gramine fesso
Grata viatori sessoria præstat, et omnem
Introitum vallis spatio specieque decorans.

L. III, 102.

Quam ira commotus adversus Anglos rex Philippus ferro jubet rescindi, arbor miseranda late dat ruinam :

Nil ferrum, nil æs, nil vis humana decori
Profuit arboreo, quin corruat igne cremanda;
Quæ modo tot ramis tantoque virebat honore,
Ut Vulcassinæ foret unica gloria vallis,
Nunc (pudor et luctus patriæ totius) ab ipso
Funditus est evulsa solo : sed adhuc locus ipse
Ostentat qualis fuerit dum tota vireret,
Nam nova progenies fruticum succrevit ad instar
A terra sensim steterat qua nobile lignum,
Quæ, numerum vincens, silvam facit ordine pulchro
Ne non hæredes tam nobilis arbor haberet.

Lib. III, 175.

Hanc præter excultæ orationis laudem atque expolitæ, descriptæ civitates maximi res momenti quasdam præbent, quibus dignosci præclare possit quæ tum fuerit Galliæ conditio in his quæ ad commercia pertinent; ita enim videmus jam urbes Flandriæ innotuisse pannis quos omnes in regiones mittere solebant. Quanta autem diligentia, quanto cultu loca describat, quisque judicet; ita enim Turonum civitas depingitur :

Inde iter accelerat Turonis festinus ad urbem
Quam geminum nitida flumen circumfluit unda
Hinc Liger, hinc Carus; medio sedet inter utrumque:
Clara situ, speciosa solo, jucunda fluentis,
Fertilis arboribus, uberrima fruge, superba
Cive, potens clero, populis numerosa, referta
Divitiis lucis et vitibus undique lucens.

L. III, 677.

Plurima cum possem ex his duodecim libris eruere quæ eamdem curam, eamdemque laudem diligentiæ præ se ferrent, unum aut alterum modo seligam exemplum, ratus jam satis atque super probasse quid valeat Guillelmus in his exornandis quæ nitescere possunt, dummodo manus opera accedat. Andegavim captam ab Anglis ita repræsentat :

Protinus Andegavim nullo munimine cinctam
Ingressus, lapide incepit murare quadrato :
Qua vix divitior urbs aut ornatior usquam
Esse potest clari vel clarior ubere Bacchi.
Circum quaque nihil nisi vites impedit agros,
Quæ pariunt potum Normannis Britigenisque,
Nec dominos usquam permittunt æris egere ;
Quam Liger argento prælucens ambit ab austro,
A Borea rubens mediam Meduana pererrat,
Qui suus inde fluens quasi per duo millia lapsus
Ligerim, nomen perdit mutatque colorem :
Et sic tres unus Ligeris, Meduana, Vigenna,
Efficitur fluvius, qui rura Britannica multa
Fertilitate juvans, navalibus oppida ditat,
Deliciis villas variis et rebus adornat ....

L. x, 71.

Ne latius autem pateat labor meus, ne ultra terminum evagetur, et Cadomum civitatem, et gentem Wallensem a Richardo accitam e montibus et silvis, et Burgundiam, et multa alia silentio prætermittam, ut indicem quanto labore insudet poeta noster in describendis anni temporibus. Hunc dicas, tot asperis rebus atque spinosis quas historia secum contrahit lassatum, aliquantisper æstiva quasi aura

recreatum, ludere circa flores quos ex veteribus decerptos in suum transmittit agrum:

Solverat interea zephyris melioribus annum,
Frigore depulso, veris tepor, et renovari
Cœperat, et viridi gremio juvenescere tellus,
Cum Rhea læta Jovis rideret ad oscula mater,
Cum jam, post tergum Phryxi victore relicto
Solis Agenorei premeret rota terga juvenci
Rex agit armatos..... L. VIII, 1.

Et alio in loco:

Et jam finis erat hiemis, tellusque calore
Imprægnata novo, flores gignebat et herbas,
Quos colit, et zephyro commendans Flora marito,
Orat ut almifluo spiramine purpuret hortos
Floribus, unde comas comis dea comat amantum.
L. VII, 607.

Ne autem hunc arguas inanes usque auras captare, terrenis rebus alienum, hæc lege verba quibus Maium mensem significat:

Mensis erat. . . . .
. . . . . tum cum nascentibus uvis
Mane solet madido damnosior esse pruina.
L. III, 622.

Præclariorem poetis materiam descriptio præbere solet, quam ut Guillelmus hiemem intentatam dimitteret:

Volverat interea rapido se circulus axe,
Retrogradata trahens obliquo sidera motu,
Vicinæque dabat Brumæ jam scorpio signum,
Cœperat et gelidis tellus canere pruinis,
Frondifluis aspersa comis, quas frigidus humor,
Et Boreæ ramis violentia straverat altis.
L. VII, 1.

Nolim tamen Guillelmum hos inter poetas inopes censeri, qui cœlum et terram movere solent ut inde aliquid deripiant versibus ingerendum suis, *reluctante Minerva*. Brito enim nunquam diutius in describendis locis vel anno immorari mihi videtur. Prout res exposcit, descriptioni indulget, neque e longiori regione petita accumulat, rarissimeque evenit ut : *non erat his locus*, illum perstringat.

Quæ descriptiones quum auctorem versandis in antiquis quasi senescentem indicent, quid de comparationibus dicam quæ eminent, ad speciem veterum effictæ, quibusque quasi splendor antiquus affulget. Quædam hic tantum colligam, unde facile apparebit quam merito illud affirmaverim :

Egressi foribus, hostile feruntur in agmen :
Ut leo qui caudæ sibi verbere suscitat iras,
Dum ruit armento vaccarum damna laturus,
Quas videt oblitas jam viso graminis illo,
Herbosis mussare procul sub vallibus Idæ.

L. VIII, 705.

Hic, ni fallor Horatianum aliquid redolet (1). Quis neget illud a Virgilio desumptum? de Rhodano agitur qui *triginta leucarum spatio* Lemanum præterfluit, nec coit lacui amnis, nec amni lacus :

Haud secus Alpheos fugiens Arethusa furores,
Littore ab Eleo littus fluit usque Sicanum;

(1) Carm. Lib. I, XV.

Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor, etc...

Quo rursum emergens dulci rigat arva fluento
Siciliæ, specieque juvat, fructuque colonos.
Labentique suo tam longa per æquora rivo
Doris amara suam non intermiscuit undam (1).

L. x, 526.

Istam comparationem de Lucani sacrario prolatam res ipsa satis per se demonstrat (2) :

Non olim Perusina fames, sed nec Mutinensis
Obsidio, nec apud caudinas vulnera furcas,
Tam miserabilibus animas auxere flagellis.
Non ita Petreius, consorsque Afranius ejus,
Et Romana phalanx illorum signa sequentes
Cæsareis clausi sub Ilerdæ mænibus amnis.

L. vii, 578.

Guillelmus ipse non negat ex Ovidii (3) abundantissimo fonte hunc rivulum deduxisse :

Non magis Ionias præceps Acheloüs in undas
Se rapuit quando indignans sua munera sperni,
Per sata, per populos spumosa volumina ducens,
Cycladas e medio terræ disrupit, et amnem
Per medium septem cum nymphis mare volvens
Vortice præcipiti, prius insula quod fuit una,
In multas secuit, sparsitque per alta, coronæ
In speciem solam Perimelen inde sequestrans
Quæ cum nympha foret, fuit illi cognita furto,
Si Sulmone satis verax est fabula vatis.

L. vi, 33.

(1) Virg. Bul. Ecl. x, v. 5.

Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos
Doris amara tuam non intermisceat undam.

(2) Lib. iv, 150. Lib. vi.

(3) Ovid. metamorph. Lib. viii, 585.

Sæpius ad Ovidium (1) decurrit ut in illo loco :

. . . . Ut fabula quondam
Ovidiana refert plus concepisse furoris
Penthea dissuasu procerum dum tollere fervet
Orgia de medio, dum fata minatur Acestes.

L. I, 615.

Nec non et in illo :

Cedere nempe docet currenti Naso furori.

L. II.

Nec Statium aspernatur ad quem his verbis alludit (2) :

. . . . Quid profuit
Aut Tethidis natum sub veste pudenda
Virgineis miscere toris Lycomedis in aula.

L. IV, 350.

Ille, fatendum est, omnem omnino tenebat antiquitatem qui, si forte corruerit turris ab obsidentibus eversa exclamat :

. . . . Ruit Ilion ingens,
Ingentemque ruens strepitum facit haud minus illo
Quo fuit Hectoreus puer olim raptus ab ulnis
Flebilis Andromaches Priami quem cæde madescens,
Misit Achilleides in terram corpore fracto.

L. VII, 710.

Nec non et Cæsaris commentarios evolvit, cujus præclare gesta sæpius stringit, dum loca in quibus illa gesserit perlustrat.

Quid nunc referam plura, quid Juvenalem, Ho-

(1) Ovid. Metamorph. Lib. III, 510. sq.
(2) Stat. Acchil. Lib. II, 125. sq.

ratium cæteris stipem (1)? attamen placet hæc inserere ex adversariis Barthii desumpta (2) :

« Petronianus versiculus est :

Quidquid quæritur optimum videtur

Eum παραφραστικῶς luculenter expressit Guillelmus primo libro :

Vilet enim qui se nullo conamine præstat
Diligiturque magis res acquisita labore.

Claudiani est IV con. Hon. :

Major et utilior facto conjuncta potenti,
Vile latens virtus.

Quem sic explanat Brito noster, lib. II :

Præconcepta diu virtus producat in altum
Quæ nisi se factis exerceat, arida marcet,
Nec se prodit ubi præsentem non habet hostem
Si vero fuerit exercita crescit et auget
Fructus ipsa suos, quos donat amantibus ipsam.

Summa facilitate, quam ego in homine non satis docto, naturalem eoque vere poeticam virtutem maxime amplector.

Idem Claudianus de Stilicon ait :

Nuncius ipse sui longas incognitus egit
Prævento rumore vias. . .

(1) Novimus et qui te... Liv. III, 558.

Ut nisi semper
Præteritis aliquid addat, nil æstimet actum. L. III, 626.

(2) Adversari. Barth. C. XI. Lib. IX.

Expressit idem Guillelmus, lib. III :

Nuntius interea spirante citatior austro
Mittitur ad regem, sed jam prævenerat illum
Certa fides facti.

Ejusdem est celebris sententia regum res in summa luce esse, nec vitiis obscurum ullum dari; illud expressit Brito, lib. IV :

Nec rex celatur, nec mens absconditur. Ipsa
Regia majestas nunquam se passa latere;
Quidquid agat, regis persona patescit ubique,
Quæsitasque negans sibi caligare tenebras
Proditur, et mediis latebras non invenit umbris,
Dum quocumque specu proprio splendescit ab igne. »

Quamvis abundans et quasi exundans omni antiquitatis doctrina, non ita inter veteres Guillelmus noster domicilium, ut sic dixerim, habuerat, ut æquales suos non penitus pernosceret, neque ab illis mutuaretur quibus sua decoraret. Ita his versibus Caroli magni et Rolandi vulgatas attingit fabulas :

Haud secus Hispanas Carolus properabat ad oras
Quando Marsilii correptus munere regis
Infelix Ganelo Francorum tradidit alas,
Dum cupit indignæ vindictam reddere stragi,
Qua dux Rollandus, post inclyta bella ducesque
Bisseni, quorum florebat Francia laude,
Sarracenorum manibus cecidere cruentis,
Sanguine Roncevalum generoso nobilitantes.

L. III. 389.

Hæc etiam a Golfredo Monumethensi petit :

Tali quippe modo, circumvenientibus Anglis,
Horsus et Hengistus olim necavere Britannos

Patricios omnes ad prandia falsa vocatos,
E quibus evasit solus Salebericus Odo,
Qui rigidum nactus fortunæ munere palum,
Mille viros sternens, indemni corpore fugit,
Ac hostes, bello renovato, postea vicit.

L. IV. 466.

adeo ex omni parte Guillelmus quæritabat unde carmini suo splendor adderetur!

Ætatis suæ fines excedere, mira quadam potestate, citius valuisset poeta noster quam vitiorum labem effugere, quibus inficiebatur sæculum, atque respuere quosdam meretricios, ut ait Tacitus, ornatus, nec satis viriles. Supra jam diximus quantum delectari solerent legentium auriculæ sonis quibusdam vocularum inter se colludentium. Quæ velut ruris vestigia supererant apud priorum sæculorum Romanos, medii ævi scriptores summo cum ardore venabantur. Quam multus fuerit circa illa exagitanda tintinnabula verborum Galterus, Alexandreidos auctor, quis nescit? Haudquaquam ita sani fuit judicii Guillelmus, ut illa putida et odiosa, velut indigna viro repudiaret; licet enim parcius temperantiusque iis utatur, plura tamen apud illum deprehendi possunt, quæ vir bonus et prudens recideret. Quum enim Dam, nostra classis pæne fuisset oppressa ita colludit :

Dam quoque, villa nocens (Dam vere nomine Dan, re,
Dam olim nostris damnosa futura carinis).

L. II. 106.

Hos jam sales notavimus quibus Richardus Barras fortissimum militem increpat :

> . . . . Barras, gaudete quirites,
> Fregimus, in manibus sunt Barræ denique nostris,
> Nulla potest nobis jam Barrula tollere Barras.
>
> L. III. 549.

Quinto libro has collidit voces :

> . . . . Feriunt hostem, feriuntur et ipsi
> Sternuntur sternunt; capiunt capiuntur et ipsi,

Hoc joco Philippi natam a Richardo ductam collaudat :

> Candida candescens candore et cordis et oris
> Nomine rem signans, intus qua pollet et extra.

Haud alia ratione miseri quos sæva fames angit regis misericordiam commoturos sese arbitrantur qui ita Philippum alloquuntur :

> Esto propitius miseris, miserere; misertus,
> Rex pie, ni fueris.
>
> L. VII. 580.

Quos quidem lusus verborum indecoros haud existimat quippe qui illis utatur ut Christum celebret :

> Qui mundi peccata tulit, qui sanguine mundo
> Mundum mundavit a primi labe parentis.
>
> L. II. 399.

Eosdem nunc reprehendere velis quum de Flora quæ *purpurat* hortos hæc scribit :

> Floribus unde comas comis dea comat amantum.

Quo non cogit ingenia nimius argutiarum cupido?

Numquid longius non recedit ab illo salubris judicii recto tramite Guillelmus, dum nobis ostendit Francorum gladios nimia rubentes cæde, forulis vix agnitos unde nitentes exierant?

Francorum gladios, nimia jam cæde rubentes,
Vix foruli agnoscunt, quosque emisere nitentes,
Tabo sordenti mutatos pæne repellunt.

L. XII. 1.

Impensius haud laudaverim clausulas summo labore elucubratas et expressas, quibus librum unumquemque, usque ad nonum concludit, neque boni aliquid inde carminibus suis adjecit. Quibus vitiis si quædam alia super addideris, nec adeo pauca, verba dico quæ impexam et sordidam ætatem referunt omni rubigine infecta; numeros quosdam innumeros, ut ait Plautus, siquidem ad legitimam longarum et brevium rationem non componuntur; nihil est ultra cur in sententiam Barthii, doctissimi judicis, et optimi existimatoris nolis descendere. Ille enim, Guillelmum Britonem suo ævo poetam longe eloquentissimum prædicat. « Cui si, ut ait, demas ea quæ sæculi vitio aliter proferre non potuit, admirabilem poetam videas, et eloquentia, et eruditione longe præstantissimum, illis quos sibi proposuit imitandos Galterum et Petrum Rigam (1). Is enim, ut altero in loco scripsit (2), magis compositus, magis poeticus videtur, nec adeo

(1) Barth. advers. L. XLIII. c. 7.
(2) *Id.* XLIII. IX. c. XI.

deditus affectatis illis sonis vocularum colludentium... In Plauto quædam talia scenam non dedecent, et in fragmentis Ennii, taliumque, ipsa sermonis simplicitate et puritate concinniora sunt; in Virgilio aliisque sæpe rerum momenta sermone exprimunt, sed in miserabilibus illis versificatoribus odiosissima. At in Britone summa est styli facilitas, sententiæ bonæ, raro affectatæ, quæ vitiis sæculi, culpa comitantibus ingeniosum scriptorem excusant... Vitia quæ ætatem necessario secuta sunt non excuso; sed eloquentia facilitateque sermonis paucis ejus generis poetis Guillelmum hunc postpono; imo inter primos ipsos collocandum existimo, utcumque acutiores sibi videri velint. »

CONCLUSIO.

Quam, omnibus numeris, pro nostra facultate, sumus persecuti, Philippis, non ita vendibilem affirmaverimus ut omni ex parte laudetur, siquidem plurima insunt vitia quæ satis superque notavimus; multa frigide dicta, multa ignave, multa denique situ orationis atque veterno deformata. Ne quis tamen, superbioris judicii, hoc respuat opus, neque, dum nimis offenditur mendis atque pravitatibus, parum laudet virtutes quibus tantum præcellit. Non nisi respectu habito ad ætatem in qua vixit Guillelmus, recte illius ingenium dijudicari potest. Quis enim inter eos qui suppares illi fuerunt ætate, ampliori doctrina, majori acumine ingenii, prudentiorique judicio ornatus exstitit? Maximæ tunc molis erat, maximæque ideo laudis, tam assiduo contubernio inter veteres versari, atque opes ab illis acceptas ita usu commendare, ut inde nova ador-

narentur opera. Nemo enim negare potest quin, inde Guillelmus eximium aliquid assecutus sit, quo cæteros ætatis suæ, ætatisque prioris, devincit; atque inde carminibus suis cultus et decor poeticus affundatur. Quis melior in describendis hominum ingeniis? quis brevior in enarrandis pugnis atque acrior? quis suavior in depingendis locis? quis diligentior in rebus exponendis quæ ad historiam sæculi sui pertinere possunt? Licet enim, ut majori pulchritudine lucesceret poema suum, neque laus Philippi minueretur, quædam immutaverit, adeo tamen veritati atque diligentiæ historici viri institit, ut illius non magis quam poetæ partes egerit, temporisque sui ita faciem expresserit, ut nullo ab alio fonte melius hauriantur, quæque conditionem hominum istius sæculi, doctrinam, usum armorum, atque rerum publicarum administrationem illustrant. Quam ob causam, simul atque diu tenebris obrutam Philippidem Pithæus Petrus in lucem protulerit, nullus est vir in illius ætatis cognitione versatus, qui summis laudibus Guillelmum non laudaverit. Omnes enim, Jano Douza excepto, qui Guillelmum arguit ingenii vitio laudes Philippi attenuavisse, et Guntheri tantum libros decem numero, neque elocutionis cultu, neque apta numerorum compositione superavisse, omnes inquam, unanimi voce, Vossius (1), Fabricius (2), Baillet (3), Lacurne-

(1) Vossii de Histor. Latin. Lib. III, p. 219.
(2) Fabricii, Biblioth. med. infim. latin. Lib. II, p. 281.
(3) Baillet, Jugement des savants, t. IV, 259.

Sainte-Palaye (1) atque Daunou (2), Gaspari Barthii laudibus, quas supra retulimus, assentiunt. Cumque inter Gallicarum rerum scriptores haud ignobilem locum teneat, haud paulum nuper profuit Philippi Augusti historico (3), qui inde extulit insignia quasi et gemmas quibus suum distinxit opus; neque hunc fastidio prosecuti sunt poetæ duo (4) qui gallico sermone eamdem voluerunt tractare materiam, qui diversam secuti viam, prout diversa ferebantur ingenii natura, id tamen non effecerunt, ut de prima sede inter laudatores Philippi-Augusti Guillelmus Brito dejectus fuerit.

(1) Lacurne-Sainte-Palaye. Mém. de l'Acad. des inscript , t. VIII.
(2) Daunou, Hist. litt. de la France, I. XVII.
(3) Capefigue.
(4) Parseval. — M. Viennet.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII kal. januar, ann. M.DCCC.LVI,

Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

Andecavis, è typis Cosnier et Lachèse.